MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81553-2

AUTHOR:

HOEHNE, AEMILIUS

TITLE:

ANSELMI CANTUARIENSIS

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1867

Master Negative #

93-81553-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

189An8 Höhne, Emil.
DH
Anselmi Cantuariensis philosophia cum aliorum illius aetatis decretis comparatur ejusdemque de satisfactione doctrina dijudicatur.
149855
Lipsiae 1867. O. 64p.
Doctor's dissertation at Leipzig (Ger.) university.

Restrictions on Use:



TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/7/93   INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





Centimeter



Inches





ANSELMI CANTUARIENSIS

PHILOSOPHIA CUM ALIORUM ILLIUS AETATIS DECRETIS COMPARATUR EJUSDEMQUE DE SATISFACTIONE DOCTRINA DIJUDICATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

AEMILIUS HOEHNE,
NIEDERFAEHRENSIS.

LIPSIAE
APUD REISLANDUM.
MDCCCLXVII.

CUJUS COMMENTATIONIS ALTERA PARS NUNC PAULULUM IMMUTATA VENERABILI THEOLOGORUM ORDINI LIPSIENSI DIGNA VISA EST, QUAE PRAEMIO ORNARETUR.

Pars prior.

I.

DE AETATIS SCHOLASTICAE INDOLE AD ANSELMUM RELATA.

Ecclesia quum tertio fere saeculo foedus quoddam cum imperio Romano iniisset atque inde majore in dies auctoritate etiam in rebus ab ipsius indole alienis florere coepisset, tantam paullo post omnium rerum effecit commutationem, ut antiqua divinarum rerum ratio exstincta, studia philosophorum et litterae artesque ingenuae in servitutem quandam dejectae, mores populorum veterumque consuetudines ad novarum legum normam et regulam directae esse viderentur. Et alterum quidem facile est intellectu, qui factum sit, ut l e x Christi ab ecclesia allata per animos civium ad novas agendi rationes conversos etiam civitatum leges et instituta immutaret. Quod vero altero loco repente s t u d i o r u m universa indoles non solum immutata, sed etiam veterum philosophorum sententiae ac rationes paene oblivione obrutae sunt, hoc non intelligemus, nisi meminerimus, nova et inaudita rerum e t h i c a r u m gravitate, quam introduxerit res Christiana, veterum fundamenta magna ex parte physica esse eversa, in quibus suam quisque philosophiam olim quasi exstruere susceperit. Fugiebant enim plurimi aut certe perverse interpretabantur patres ecclesiae philosophorum praecepta ab indole et veritate rei Christianae saepissime cum verbis tum re aliena. Patrum doctrinas, paparum decreta c r e d e b a t vulgus, philosophos antiquos curare nec volebat-propter monachos, nec poterat per monachos. Sic eorum celerrime periit auctoritas et notitia ac n o v a quaedam philosophia fideique auctoritas e synodorum consiliis patrumve singulari gravitate

---

Conferas:

a) **Hasse**, Ans. v. Cant., Thl. II. 1852. Leipzig. — **Franck**, Ans. v. Cant., Tüb. 1842. — **Möhler**, opp. Bd. I; ed Döllinger 1839. — **Baumgarten**, Programm. 1821. Jena.
b) **Tennemann**, Gesch. d. Philos. 6—9. — **Ritter**, Gesch. d. Phil. 5—8. — **Prantl**, Gesch. d. Logik im Abendlande. Thl. 2. — **Erdmann**, Gesch. d. Phil. Thl. 1. (1865). — **Ueberweg**, Gesch. d. Phil. 2. Thl. 2, Abth. 1864. — **Köhler**, Nomin. u. Realis. 1858. — **Exner**, Nom. u. Real. 1843.
c) **Baur**, Die Dreieinigkeit. II. Bd. — **Baur**, von d. Versöhnung. 1838. — **Kahnis**, Kirchenglaube. II. Bd. — **Dorner**, Person Christi. Bd. I. (1856.) — **Thomasius**, Dogmat. III, 1. — **Schwarz**, üb. Ans. Satisfactionslehre. 1842.

oriunda et vitae et doctrinae et litteris certam unamque regulam ostendebat, extra quam salus esse negaretur ulla. Nam valuit istud Jes. 7, 9, et valuit praeter ceteros Augustinus.

Sed quae tot synodi huc illuc convocatae per tot saecula decreverant; quae tot viri iique nationum indole tam diversi suamque quisque indolem secuti docuerant: ea quasi membra disjecta jacebant neque satis ex partium discrepantia unitatis ratio, neque ex multorum sententiis satis animorum et aetatum consensus apparebat. Jam igitur colligenda et conjungenda erant per posterorum diligentiam et sagacitatem, quae patrum ingenia quasi procreaverant. Quod ipsum monebat temporum haud prospera commutatio et animorum quidam languor priorem vim ac vigorem secutus.

Scholastici [1]) vocantur, qui hoc munus subierint et materiam istam a patribus jam coacervatam in certam quandam formam redigere studuerint. Hanc enim semper posteriorum curam esse constat, quorum animi majorum ingenium et inventionem non adaequent. Ac laude graviore inde carere solent, quippe qui non tam de adaugenda rerum veritate, quam de rerum componendarum ordine et perspicuitate bene mereantur. Hujus vero rei efficiendae normas et regulas praecipue ex Aristotelis „organo" per Boëthii commentarios et Porphyrii versionem ejusque introductionem (εἰσαγωγὴν) ex oblivione et silentio prolato promebant scholastici. Ita vero duae res minime inter se similes conjungi coeptae sunt: nam quae credebant Christiani ultra omnem conceptum esse, ea praeter ecclesiae auctoritatem vel etiam rationibus argumentisque explicari et firmari, inde vero notionibus circumscribi et cogitatione percipi posse videbantur.

Ex hac prae ceteris opinione, cujus primus auctor et testis fuit Johannes Scotus Erigena, [2]) docentium, posse rem Christianam sine ulla alterius rei detrimento conjungi cum veterum philosophia, ex hac inquam opinione quasi ex radice omnia puto esse oriunda, quae peculiarem aetatis scholasticae rationem et indolem effecerint. Neque enim hanc cum Crusio [3]) statuemus scholasticae aetatis fuisse intentionem, quae praeter ecclesiam et extra eam scholam quandam conderet per eamque novas agendi

[1]) De verbi tripartita vi et usu cf. du Cange, lex. med. et inf. etc., qui titulus aut magistris aut eorum discipulis aut doctissimo cuique debebatur.

[2]) cf. de eo: Hjort, Joh. Sc. Erig. sive de orig. philos. Christ. 1823. — Staudenmaier, Joh. Sc. Erig. etc. 1834. — Christlieb, de vita et doctrina J. S. Er. 1860. — Huber, Joh. Sc. Erig, 1861.

[3]) de vero scholasticorum etc. discrimine etc.; progr. 1821. Jen.

et cogitandi rationes ostenderet. Neque cum Moehlero [4]) statuemus, vere et sensu tanquam objectivo tunc unam et eandem rei Christianae veritatem tributam esse, quam ratione sua usus quisque posset invenire. Propius jam ad veritatem accessisse videntur Hegelius et qui ad eum provocabat Baur Tubingensis, non tam eandem tunc fuisse philosophiam et theologiam, sed visam esse unam et eandem utriusque indolem, rationem, veritatem professi. Quamvis enim non ignorarent scholastici, quid per se interesset inter utriusque naturam: tamen ex judicio illius aetatis neutram alteri ex necessitate quadam inimicam visam esse. Posse autem inimicitias excitari, hoc magis tunc animos praesagivisse, quam mentes cogitasse, donec proximis saeculis appareret justam et veram inter strenuam philosophiam et sinceram theologiam pacem et concordiam vix posse cogitari. Quae enim discrimina Erigena et Anselmus aut negaverant esse aut exaequasse sibi videbantur, ea jam Abaelardus caute et leviter attigit („sic et non"), Duns Scotus ostendit, Occamus suum utriusque generis sententiis locum tribuendum esse statuit.

Quae vero sunt, quibus quasi signis et notis haec altera pars mediae aetatis a priore patrum aetate differat? Inde enim de Anselmo, quem alterius aetatis principem et „alterum Augustinum" summo jure nominaverunt, facilius judicabimus.

Haud male Hegelius suum de hac quaestione judicium sic proferebat, ut patres ecclesiae doctores (sive magistros) secutos esse censeret. Quod ex proximis accuratius apparebit.

1) Primum enim, ad simplex scripturae κήρυγμα provocaverant patres, scholastici a certissima dogmatum auctoritate profecti penes ecclesiam summa omnium rerum arbitria esse statuebant. Sic aliqua certe ex parte patres scripturae, patribus scholastici credidisse videntur. [5]) Quae vero dogmata patres et concilia quasi procreaverant, ea 2) scholastici arte dialectica usi in systema redigere nitebantur: nam antea singuli patres singulave concilia in singulas quaestiones ex necessitate quadam animos converterant, quippe quos cum haereticorum novae doctrinae huc illuc ad pugnas evocarent, tum doctrinae Christianae interna necessitudo per singula quasi fastigia paulatim ascendere cogeret. — 3) Ad universam igitur ecclesiae doctrinam scholastici accedebant,

[4]) in scriptis ejus, ed. Doellinger 1839. tom. I, 32.

[5]) Sic Berengarius scribit: „postulabat a me papa (1050), ut fidem meam exponerem, expositam plus sacris auctoritatibus quam argumentis probarem."

ut sua quisque arte et sagacitate quantum posset universam dilucide describeret. Itaque quamvis omnibus eadem res esset proposita, facile fieri potuit, ut — sicuti factum est — plurimi bellum contra plurimos gerere multis de caussis viderentur. Certabant enim inter se non tam de eo, quid doceri oporteret, sed quo modo. Qua in re ancipitem Abaelardi fortunam in memoriam revocasse satis fuerit. 4) Qui vero arte dialectica usi strenuas et subtiles notiones in theologiam introducebant, eos theologiae inter reliquas etiam litteras locum tribuere certe incepisse putaveris. Et accedit, quod plurimos (saec. 9—12) ullum inter rationem et fidem, philosophiam et theologiam interesse discrimen prorsus negavisse constat. Attamen tantum afuit, ut quisquam eorum, nisi de Occamo jam cogitaveris, unam esse et eandem omnium litterarum conditionem statueret, ut omnes fere ad unum theologiam de reliquarum judicio et similitudine eximerent fideique omni ex parte principatum vindicarent. Serviebat [6]) igitur philosophia, dominabatur theologia: quae concordia non erat, sed fingebatur esse, donec ista quasi serva ex silentio suo expergefacta libertatem palam flagitare, deinde capessere incepit.

Quid vero harum rerum ratione habita de Anselmo statuendum esse censebimus? 1) Hic neque patrum numero neque uni scholasticorum aetati vere et totus annumerandus est: quippe qui patrum exempla secutus nixus sit in dogmatum veritate cum defendenda tum rationibus probanda firmandaque, hac vero ipsa re a scholasticorum ratione differat, quos adeo jam firmatam certamque esse dogmatum auctoritatem putasse scimus, ut ex hac profecti ullius defensionis dogmata indigere prorsus negaverint. Anselmus igitur ecclesiae auctoritatem et decreta rationibus et argumentis adjuvabat, non uni illi se fidemque suam tradebat. 2) Ita enim statuebat, a fide ad intellectum et posse et debere ascendi, hujusque intellectus quasi auxilia arte parari dialectica. Atque adeo haec strenua cogitandi ratio cum tota ipsius indole quasi coaluerat, ut ex ipsa serie ejus libellorum appareret, in componendis per plura decennia scriptis jam inde ab initio servatum esse systematis ordinem et tenorem. Singulas enim theologiae partes explicuit a principio et quasi fundamento ejus, unde nomen traxit, exorsus: a notione dei profectus (monol. 1, 4, 6, 16, 26) ad ejus „existentiam" (prosl., apolog. contra Gaunil.), inde ad dei „essentiam" (monol.)

[6]) Petr. Damiani „debet humanae artis peritia velut ancilla dominae quodam famulatus obsequio subservire" (op. III, pg. 312; ed. Cajet 1743).

probandam transiit, ita quidem, ut esse deum et qui esset demonstraret. Ostensa vero necessitudine (mon. 27 sqq., de verit.) quae inter ipsum „creatorem" et „creaturam" intercederet in plures partes propter variam dignitatem et indolem divisam, a dei honore (cur d. homo I, 15, saep.) servando ad hominum libertatem (de ver., de lib. arb.), justitiam (de lib. arb., de casu diab.), peccatum (cur d. homo, de casu di.), denique ad aeternum dei consilium et decretum cum rerum eventu congruum nostraeque libertati minime inimicum pervenit. In deo igitur quodammodo describendo a notione profectus ad ipsius quasi naturam transiit; sed in doctrina de hominis natura componenda et ab ea, qua nunc essent, et ab ea, qua esse deberent indole exorsus ad internas et occultas naturae nostrae rationes delatus est, quas a nullo posse explicari nisi a se moribundus conquerebatur. Hunc tamen libellum „de animae origine" conscribere et gravissimas hujus quaestionis difficultates explicare ei non licuit. Sic mors impedivit, quominus Anselmus totum et omni ex parte perfectum suae doctrinae systema nobis relinqueret. Sed quattuor ejus conamina exstant, quibus a) fidem, qua credatur, explicat, b) fidem, quae credatur defendit, c) regulas veritatis inveniendae docet, d) ipsam veritatem trans nos et extra nos esse asseverat. — 3) Universam igitur theologiam ita complectebatur, ut partes ejus arte dialectica excultas et conjunctas ex necessitate quadam oriundas demonstraret. Nec timidius vero quam cautius patrum sequebatur sententias, quas identidem aut emendavit aut refutavit (cur d. ho. I, 6 sqq.). Multo igitur magis quam proximi post eum scholastici, minus tamen quam Abaelardus rationem suam praeferebat horum auctoritati; quae res non impedivit, quo minus mystica simul pietate posterorum plurimos longe superaret multorumque nugas et ineptias evitaret. — 4) Negavit autem inter theologiam et philosophiam difficultatem aut inimicitiam esse ullam: nam unam esse scientiam, unam veritatem, quae quamvis ex pluribus quasi fontibus hauriretur tamen ad unum deum quasi primum universae veritatis fontem atque auctorem reduceret. Et bonorum tantum esse, huic philosophiae ethicae studere: eos enim veros esse philosophos, qui mentibus quaererent intellectum rerum divinarum piis animis creditarum (cf. „prosl." sive „fides quaerens intellectum"). — Sic vel apud Anselmum peculiaris philosophiae vis ac dignitas in ditionem theologiae et ethicae redigebatur, mansit igitur in ejus scriptis et usu philosophiae nomen, interiit sincera philosophiae forma nec amplius haec suo stetit judicio.

II.
DE RATIONE ET FIDE.

Sed quaenam fuit illa philosophia, quam dixi de potestate sua et altitudine, vel etiam de veritate sua adeo dejectam fuisse?

Quae ex paucissimis veterum — (Platonis [7]) Timaeo [8]) et Aristotelis organo [9]) — scriptis, i. e. ex eorum versionibus et commentariis tunc nota erant, ea vix quasi umbram philosophiae praebebant. Et quae aderant, ea longe aliter intelligebantur, atque debebant intelligi, praesertim quum jam Proclus — quem praeter ceteros tunc sequebantur interpretem — multas Platonis sententias liberius quam verius interpretatus esset. Neque igitur offendebat, quod haec essent praecipua Timaei praecepta, aeternum esse mundum, fato ac necessitate libertatem animorum reprimi, animos non creatos esse sed ante tempus jam fuisse.

Quae levis et a veritate aliena philosophorum interpretatio nisi memoria tenetur, omnino nequit intelligi, qui factum sit, ut vel haeretici (Bereng. Turon., Erigen.) ad ejusdem Platonis auctoritatem provocaverint, quem olim Augustinum, postea Anselmum, alios, denique totam ecclesiam sciamus magnopere coluisse. Sed quo duceret Plato ideaeque ejus Christianis animis prima specie gratissimae, hoc nemo fere tunc perspexit, sicuti antea perspexerat Augustinus. Is enim magis in dies ab ipso Platone sese averterat (cf. de doctr. Christ. II, 43; de civ. dei VIII, 11 sqq., X, 23, 29; de trin. XIII, 12; conf. V, 5; VII, 26) etiamsi vel senex (de civ. VIII, 1. 10) arbitraretur, non omnem philosophiam esse fugiendam, sed eam „quae hujus mundi“ esset. Qui vero illum ecclesiae principem postea imitabantur, ii hoc non curabant, sed laudum ab Augustino juvene Platoni tributarum meminerant. Ideae Platonis, item ejus tripartita rerum ratio neque cum organo Aristotelis neque cum theologia Christiana pugnare videbantur. Negari a Platone omnia, quae praeter ideas et extra eas sint ab hac sincera veritate remota, atque sic pantheismum aper-

[7]) Erig. I, 33: „Plato philosophantium de mundo maximus“, cf. III, 36.

[8]) Unus Thomas Aquinas praeter Tim. etiam leges, rem public., Alcib., Phaed., Menon. novit (contr. gent. I, 13; II, 57, 73).

[9]) Erig. I, 16: „Aristoteles acutissimus apud Graecos naturalium rerum discretionis inventor.“

tissime introduci a Graecorum animis minime alienum: hoc fugiebat eos, qui Platonem ducem sibi elegerant nimisque in vocibus ejus, non in rebus ab ipso cogitatis versabantur. Et ubi physica ejus studia et opera in medium proferri et displicere inceperunt, negligebantur, quantum et quamdiu negligi poterant. — Sed jam inde a saeculo 13 per Albertum Magnum („simiam Aristotelis“) claruerunt reliqua Aristotelis scripta antea per Proclum et Dionysium Areop. aliqua certe ex parte nota, quibus repertis factum est, ut paene unus [10] inde ὁ φιλόσοφος coleretur et cum theologia antea valida Platonis etiam studia senescerent. Nusquam vero, ne ab initio quidem, sinceram Platonis doctrinam apud Christianos invenimus. Hanc enim jam Neoplatonici qui vocantur cum Aristotelis sententiis conjunxerant vel commiscuerant; et Augustinum ex Plotino et Porphyrio potissimum suam hausisse philosophiam, quis est qui nesciat? Jam Proclus vero et paullo post Dionysius Areop., denique Johannes Damasc. Aristoteli magnopere favebant, et per eum illi duo certe rem Christianam cum philosophia sua in concordiam revocasse sibi videbantur. Atque aliqua certe ex parte jam apud Aristotelem τὴν πίστιν valere putaveris, quippe quae ne Aristoteli quidem ignota omnem rationem excedere et quasi summum atque certissimum rerum principium esse nonnullis locis dicta sit. Sed haec forma fidei nihil valere debuit, propterea quod ab hac voce fidei res et materia fidei Christianae aberat.

Platonem igitur illa saecula vix leviter attigisse, ne dicam intellexisse, nemo negaverit unquam; et si nihilo tamen secius omnes fere theologi in sua quisque caussa in Platonis philosophia se niti tunc contenderunt: ad ideas Platonicas spectabant incaute receptas: nam hoc non videbant, tales ideas qui concederet, ab eo vel invito hunc mundum quasi tolli et mente negari. Ipsi hoc erant contenti, quod Plato ad res coelestes conversus et a moribus Christianis saepe haud ita alienus pericula et errores vitasse ipsis videretur, quos ex physicis aliorum doctrinis eorumque empirica ratione suae fidei suisque moribus imminere statuebant. Quam enim ἐμπειρίαν ab Anselmo prae ceteris (cf. de ver. 3, 6, 11 sq.) postulatam invenimus, eam longe aliam et mere ethicam nec a fide diversam esse, infra apparebit. — Saeculo demum quarto decimo quum Aristotelis scripta physica et metaphysica magis innotuissent simulque temporum et animorum ratio esset immutata: tunc demum quasi bellum exarsit per profanas et empiricas multo-

[10]) Hac de re Ritterus (VI, 92) pugnat cum Tennemanio et Branissio.

rum rationes illatum, per fidem et mysticam theologiam tunc jam fere moribundam quasi repellendum. Huic mysticae theologiae Platonis studia mire opportuna fuerant, cujus rei testes exstant Dion. Areop., Scot. Erig.; ex Aristotelis vero sectatoribus tot et tanta cepit detrimenta, ut mox de scholasticorum mentibus et coetu dejecta in animis plebis quasi sedem et regnum sibi pararet, donec Johannes Gerson amplitudinem et honores ei diu a doctissimo quoque negatos restitueret.

Ab hac quaestione si ad Anselmum revertimur eamque in ipsum translatam respicimus: jam agitur de fidei ac rationis vi et dignitate deque ea, quae tunc inter eas intercedere visa sit ratione ac necessitudine („rationabili" cur d. h. I, 15). [11]. Et secutum esse in hac re dijudicanda Anselmum cum Augustini tum Scoti sententias, statim apparebit.

Sed quae intelligenda est ratio, quae fides?

1) Illius et dignitatem et infirmitatem his verbis describit Ans. de fid. tri. 2 „ratio quae et princeps et judex omnium debet esse quae sunt in homine" (prosl. 14) „intendit se ut plus videat et nihil videt ultra hoc nisi tenebras." Huc conferas cur d. ho. praef. et de conc. praesc. III, 7 ubi argumenta a ratione deprompta, dummodo scripturae non repugnent, per se ejusdem, qua scripturae testimonia, ponderis esse dicuntur. Meminisse enim oportet, summam dei veritatem quasi adumbratam conspici (monol. 67 sqq.) in creaturis, praesertim in hominibus, quamvis aliqua certe ex parte eorum intellectus detrimentum ceperit ex voluntate perversa (prosl. 1; cf. Aug. de civ. II, 7; XI, 2.). Ex sripturae tamen veritate omnia quasi pendere et inde suam quodque judicium normam accipere, saepius contendit (Hasse II, 53 sqq.) Anselmus.

Sic Ans. de ratione judicavit. Quod ejus judicium cum Augustini congruit, ab Erigenae aliquantulum discrepat. Secundum Augustinum enim „ad discendum necessario dupliciter ducimur, auctoritate atque ratione: tempore auctoritas, re autem ratio prior est": contr. acad. III, 43; cf. conf. X, 40; XII, 25; de util. cred. IX, 21; XVI, 31; de trin IX, 1; opp. contr. acad. I, 15; retr. I, 1, 2; de lib. arb. II, 7; soliloqu. II, 1, quibus locis rationi nunc major nunc minor tribuitur gravitas. Contra Erigena (I, 66—71) docuit, **et** tempore

[11]) **Quae tota quaestio jam a Berengario et Lanfranco acerrime et ita tractata erat, ut B. rationi superiorem quam auctoritati ecclesiae locum attribueret arte sua dialectica gloriatus: hic vero a L. devinceretur, qui doctior et sagacior illo et multo magis in studio artis dialecticae versatus fidei auctoritati defendendae studebat.**

et re rationem fide esse superiorem. Sic vero rationem interpretabatur, ut tripartitam hanc esse (II, 20 compositam ex sensu interno [διάνοια], ratione [λόγος], intellectu [νοῦς]) atque per se jam inde veritatem cognosci statueret (II, 20; IV, 9).

Omnibus tamen hunc rationis usum aut contingere, aut posse contingere, illi tres pariter negaverunt (Aug. de ord. II, 9, 26; de trin. IX, 1; de util. cred. IX, 21; XV, 31; Erig. I, 69; Ans. cur d. ho. I, 1 „quum ad intellectum valet pertingere, delectatur, quum vero nequit, quod non potest veneratur;" cf. monol. 39, 78 sqq.). Qui igitur ad intellectum nequeant aspirare, his satis esse cum fide ac veneratione auctoritati ecclesiae se suaque de rebus divinis consilia commisisse. Cujus rei vel ipsius Augustini exstat praeclarum testimonium sic de se locuti „evangelio non crederem nisi catholicae ecclesiae me commoveret auctoritas" (contr. ep. Man. 6). Haec vero auctoritas fidem suadet piis animis esse amplectendam.

2) Quae tamen fidei, quantum ea ad nostram pertinet quaestionem, intelligitur vis ac notio? Utra est, quae credenda ab ecclesia porrigitur, an, qua mentes quasi fastigio usae ad deum ducuntur?

Quum vero de ratione ac fide agamus, per se jam apparet, item de fidei indole ejusque facultate quaeri, atque de rationis nobis insita natura et potestate. Utramque igitur ex parte subjectiva intelligemus. Attamen inde ad objectivam fidei notionem vel invitis nobis esse transeundum, sententiae Anselmi infra monebunt, quem posteri strenue secuti in hac certe re deserebant.

Neque ex tanto patrum numero, qui jam ante Aug. floruerunt, ullum iuvenies, quin „regulae fidei" diligenter servandae studia sua et philosophiam suam omnino postposuerit. Ne Origenes quidem, quem et tota animi indoles et summus litterarum amor a nimia timiditate revocabat, ne hic quidem vel tantillum ab illa quasi norma et lege recedere ausus est, quamvis Philonem imitatus saepissime ad allegoricam interpretandi rationem confugeret. Augustinus vero, totam per adolescentiam studiis veterum deditus, totam per juventutem Platonem praeter ceteros philosophos secutus, quantum aetate profecit, tantum ab amore ejus scientiae recedere coepit, quae res vere ethicas nec appeteret ipsi ignotas (de tri. XIII, 12) nec viam posset ostendere (conf. V, 5; VII, 26), si forte eas, quae essent, novisset. Magis in dies ad Jesaiae istam vocem (7, 9) provocabat et hanc de ecclesiae auctoritate ita interpretabatur, ut vel per proconsulem et milites ejus haereticos ad fidem praestandam esse cogendos („cogite intrare") senex moneret.

Extra enim ecclesiam prorsus negavit ullam salutem, ullam fidem cogitari posse. Hanc tamen minime ab ethicis sejunxit rationibus, quippe qui (de praed. 5) „ipsum *credere* nihil aliud esse, quam *cum assensione cogitare*“ profiteretur. — Altius paene et verius, sed aliter Scot. *Erig.* de eadem re sentit, quippe apud quem rarius nomen, saepius rem et indolem fidei sic expressam legamus, ut visionem quandam internam, intuitum gnosticum alia commemoret *praeter* scripturae auctoritatem. Mysticam enim theologiam ex Dionysii Areop. scriptis et ipse didicerat et alios docebat. Itaque „veram philosophiam veram esse *religionem* conversimque veram religionem esse veram philosophiam“ scribere potuit mysticus (de div. praed. I, 1), quem quid interesset inter theologiam et religionem, minime fugit.

Pariter atque hi *Anselmus* de certissima veritate „fidei“ ab ecclesia traditae (de fid. tri. 1, 2) judicavit, tamque acerbam de haereticis tulit sententiam, ut quum Roscellini caussa ageretur, hunc omnino non esse audiendum suaderet Tertulliani istud consilium „de praescriptionibus haereticorum“ secutus; et ut quasi divini juris defensor vel decreta et instituta ecclesiae a regum superbia summa severitate et audacia identidem defenderet. — Sed gravius et severius de indole *fidei* praestandae *mere ethica* sensit. Fidem enim *ante* intellectum neque vero *super* intellectum ponendam esse, saepe professus, *totius* hominis hoc esse negotium docet. Sic enim scribit „neque enim quaero intelligere ut credam, sed *credo ut* intelligam; nam et hoc credo, quia *nisi* credidero *non* intelligam“ (prosl. 1; cf. ep. II, 41; de fide trin. 1 sqq., conf. Aug. de util. cred. 9; de vera relig. XXIV, 45; de ord. II, 9); et „Christianus *debet per* fidem *ad* intellectum *proficere* (*prosl.* 1; cur d. h. I, 2). Fidem vero ex *voluntate* oriundam esse, voluntatem autem omnium facultatum quasi *reginam* esse ac dominam (de ver. 12, prosl. 4). Et quamvis ex peccati contagione nostra voluntas, per hanc ipse intellectus aliquam acceperit cladem (prosl. 1; conf. Aug. de civ. dei II, 7; XI, 2), tamen nunc quoque ab *optimo* quoque summam et divinam veritatem optime posse cognosci. Qua in re Platonem sequitur et Aristotelem, qui praeter τοὺς ἀγαθοὺς posse quemquam deum intelligere negaverant (conf. Aug. conf. VI, 7 sq.).

Itaque bene Ans. (cf. de ver. 3; *prosl.* 26; mon. 75) cum intellectu conjungit *amorem*, qui sit quasi fons omnis in-

tellectus. [12] Sic vero ex imo pectore totoque homine radices et initia fidei esse oriunda apparet. Quam non tam theoreticam, quam *practicam* simul esse virtutem contendit; eamque quae a posteris dicebatur esse fides informis i. e. caritatis expers, omnino rejecit. „Nam qui non crediderit, non *experietur*, et qui expertus non fuerit, non intelliget“ (de fid. tri. 23.). Haec vero Anselmi „experientia“ non sensibus percipitur, sed ad voluntatis morumque sanctitatem pertinet summamque cum *summa* veritate (i. e. deo) concordiam ostendit (de ver. 3, 6, 11). Qui sic quaerat, eum invenire, nam deum illi veritatem suam non posse negare, nisi forte ipse deus a veritate suaque natura recedat, et sic ad *delectationem* perveniri (cur d. ho. 1; mon. 78; 39 sqq.) ex intelligendi potestate oriundam, per quam fides pariter crescat atque ipsa per fidem augeatur. Quod similiter jam Aug. docuit, locutus „fides quaerit, intellectus invenit, et rursus intellectus eum, quem invenit, adhuc quaerit“ (de tri. XV, 2; epist. 120, 3).

Quantum Ans. in hac fidei describendae ratione abest a posterorum levitate, qui in objectiva fidei notione nimis occupati hanc esse ecclesiae doctrinam *per se* certissimam ducebant! Nam etsi pariter Ans. identidem et graviter contendat, omnes suas sententias a scripturae aut patrum auctoritate non discrepare (mon. 1; cf. Hasse II, 53 sqq.): tamen 1) res credendas rationibus et argumentis praeter scripturam quaerendis et posse (cur d. ho. I, 1) et debere (prosl. 1; defi. tri. 2) ostendi statuit; 2) deinde eam postulat nostrae fidei indolem, quae ex sincera voluntate piaque animi veritatis amantissimi intentione oriatur et quam totius hominis universae facultates cum perficiant tum experiantur.

Altera igitur ex parte Ans. cum *auctoritate ecclesiae*, quam ipse verebatur et a regum superbia acerrime totam per senectutem defendebat, quamque magis quam ante ipsum Erigena in doctrinis suis sequebatur (Ritt. VII, 209 sqq.), *conjunxit rationis judicium* tanquam illi *minime inimicum*. *Altera* vero ex parte mere *ethicam* fidei naturam ostendit, quippe quae per amorem res divinas intelligat (prosl. 26). Qua in re ab Erigena mystico haud ita abest, qui intuitum gnosticum (II, 20; IV, 9 etc.) ante hominum „deificationem“ (V, 37) ponebat: cum hac enim Anselmi comparanda est visio, cui proxima est delectatio illa paullulum inferior; pariter cum istius intuitu experientia Anselmi a vera fide non aliena congruit.

[12]) Hoc jam monet vox ἐπιγιγνώσκειν i. e. ita *cognoscere*, ut in aliquid quasi penetrare videamur.

Apparet igitur, Anselmum in describenda fidei notione ex bipartito quasi fundamento esse profectum, qui in sententiis de rebus divinis ferendis et verecundiam ecclesiae postularet et ad animorum piam experientiam piumque intellectum provocaret. Quas vero rationes ipse conjunxerat, eas posteri ita sejungebant, ut Abaelardus patrum sententias identidem inter se oppositas esse („Sic et non") ostenderet et ecclesiae auctoritate sic praeter [13]) suam ipsius voluntatem labefactata ad notiones et similitudines mere logicas grammaticasve (introd. II, 13; I, 10 de trinitate) confugeret, quibus infinitam divini numinis indolem definiri posse opinaretur [14]), Hugo vero et Ricardus Victorini non tam rationibus et argumentis, quam una animorum contemplatione et experientia res divinas intelligi docerent. Uterque enim Victorinus, sicut eorum magister Bernardus Clar., audaciam Abaelardi perhorrescebat, qui „cum de trinitate loqueretur saperet Arium, cum de gratia saperet Pelagium, cum de persona Christi saperet Nestorium." Neque illos, neque Abaelardum recte sensisse statuit Thomas, qui cum mystica contemplatione rationis operam ita conjungebat, ut illam in regno gratiae, hanc in regno naturae cognoscendo praevalere, utraque vero facultate unam dei veritatem parari et intelligi doceret (contra gentil. I, 4, 5; III, 50; 25, 6. 8; IV, 1; summa theol. I, 1, 1). Rationem tamen et intellectum delectationi ex sensu interno oriundae ita praeponit (Summ. II, 1, 4) ut a ratione etiam voluntatem leges agendi accipere et per rationem „conscientias" suam de rerum aequitate „scientiam" cognoscere putaret (II, 1, 17, 19, 79): quamvis multa esse profiteretur, quae non tam et ad theologiam et ad philosophiam, quam aut ad hanc, aut ad illam pertinerent (ad gent. II, 3 spp.). Theologiam enim quaerere, unde res oriantur, philosophiam vero, quid sint; illam proficisci a deo jam cognito, hanc ad deum animos perducere (ad gent. II, 1 sqq.).

Sic Thomas, ad Anselmi prae ceterorum sententias reversus, hanc controversiam composuisse videbatur. Attamen paulo post eum Duns Scotus tam acriter de ea, quae inter utramque intercederet, dissimilitudine disputabat (op. Oxon. II, 3, 7; IV, 43, 3; quaest. quodl. 14, 3), ut jam ipse pronuntiaret (rep. Paris. IV, 43, 3 op. Oxon.) quod saepissime docuit Occamus,

---

[13]) nam postea ne Occamus quidem sententiis suis ipsam petiit ecclesiam, quam summa pietate tunc verebantur omnes, quamquam liberrime saepius de ejus decretis judicabant.

[14]) quae conamina vel Otto Frising. (Frid. II, 12 sqq.) vituperat Abaelardi discipulus.

cogitari posse, quae vera essent ex theologorum, falsa ex philosophorum judiciis et doctrinis. — Per hos vero duos ea jam aetas eaque animorum intentio perire coepit, quam inde ab Anselmo initia sua et rationes suas cepisse vidimus. Quae enim hic olim paraverat, ea per Thomam postea reparata illi tunc diluerunt.

III.

DE REALISMO ET NOMINALISMO.

Quod quidem fieri non potuit, quin tota sentiendi ratio immutaretur. Ut inde a saeculo 11 usque ad saec. 14 constet, non solum philosophiam se in libertatem vindicasse, sed etiam hujus ipsius indolem omnino aliam factam esse.

Nam, quae antea per interpretes theologos male intellecta ethicis ipsorum doctrinis quasi subsidia et firmamenta afferre videbatur, ea tunc Aristotelis scriptis physicis et metaphysicis tandem aliquando (per Albertum) recognitis magnopere a fide christiana aliena, nonnunquam etiam (memineris doctrinae de sacramentis a scholasticis inventae) ei inimica esse intelligebatur. — Deinde si ad logicas et methaphysicas philosophandi leges respicimus, senescere coepit, quae antea per Erigenam, Gerbertum, Anselmum praecipue defensa erat opinio, quae singularum rerum multitudinem non ad nomina et flatus, sed ad res veras tanquam ultima et divina principia reducere consuesset. [15]) Sic enim docebant, qui *κόσμον νοητὸν* a Platone et Philone non temere esse excogitatum tunc censebant. Quae cogitandi ratio simul cum Platonis auctoritate evanescere et alteri ipsi oppositae et per Aristotelis praecepta magna ex parte firmatae cedere debebat. Aristoteli enim et studiis physicis tunc sagacissimus quisque favere coepit illumque *ἐμπειρικὸν* in singularum rerum cognitione doctissimus quisque jam sequi et superare eum studebat. — Scholastici igitur a „realismo" et fide strenue servata profecti per singula saecula magis magisque ad „nominalisimi" et integrae philosophiae praecepta appropinquabant. Attamen errant, si qui realismum et nominalismum ita sibi oppositos esse opinantur, ut illius auctorem Platonem, hujus Aristotelem fuisse statuant: nam ne Arist. quidem veritatem „universalium"

---

[15]) Koehler, de realismo et nomin. 1858; Exner, de no. et real. 1842. Baumgarten, progr. de vero schol. realium et nomin. discrim. 1821.

negavit, quae quidem nec ante res esse nec post res cognosci, sed in rebus efficacia esse putabat. (cf. Zeller, phil. Graec. II, 2, 227 sqq.).

Quae vero tunc utraque ex parte viguerint et defensae sint sententiae, earum vestigia etiamnunc praecipue apud Ioh. Saresb. (metalog. II, 17) et in scripto „de generibus et speciebus“ a Victore Cousin Abaelardo, ab aliis (Ritter VII, 363; cf. Prantl II, 143 sqq.) Joscellino ascripto, invenimus.

Tota haec quaestio a Plotino jam, magis deinde a Porphyrio mota [16]) neque vero ab ipso propter nimias rei difficultates explicita pertinet ad quinque notiones (genus, differentiam, speciem, proprium, accidens), quae postea aliis res, aliis voces esse videbantur. Quam bipartitam sentiendi rationem jam ipse leviter attigerat Porphyrius sic locutus: „mox de generibus et speciebus illud quidem sive subsistant, sive in solis nudis intellectibus posita sint; sive subsistentia corporalia sint an incorporalia; et utrum separata a sensilibus an in sensilibus posita et circa haec consistentia, dicere recusabo.“

Itaque tota haec disputatio per se non tam ad notiones et caussas „primordiales“, quam ad notiones et caussas „secundas“ „mediasve“ statim ab initio pertinebat. Utram vero sententiam sequerentur theologi, id maximi momenti esse debebat in doctrinis de trinitate et de peccato originali explicandis: id quod patrum jam memoria prae ceteris senserat Augustinus. Hic Anselmo ut in ceteris rebus sic in hac quoque quaestione dijudicanda Platonis auctoritatem ostendit ut ecclesiae amicam. Qui vero realismum suum, tunc per ecclesiam et summos viros sancitum ac defensum, per Platonis praecepta firmabant: ii universalia ante res et per se esse statuebant. Similiter enim jam ante Ans. Erigena [17]) et pluribus Gerbertus [18]) docuerat, qui Boëthii et Rhabani sententias ad nominalismum pronas refellere conatus erat. Sed quae inde a Gerberto vigebat et ecclesiae doctrinas firmabat realismi auctoritas, ea Anselmi aetate per Ruzelinum acerrime impugnata est. Qui cum doceret universalia „nomina et flatus“ (de fid. tri. 2) esse, nec veritatem conspici nisi in singularum rerum multitudine; ex necessitate quadam per eum in

---

[16]) nam quae de hac re ipse Aristoteles in libris metaphysicis disputaverat, ea tunc in oblivione jacebant.

[17]) Erig. I, 36, 51: „οὐσία tota in singulis suis formis speciebusque est nec major in omnibus simul collectis aut minor in singulis a se invicem diversis.“

[18]) Gerb. de rat. et rat. uti 11: „intelligibilia dum se corruptibilibus applicant, tactu corporum variantur.“

doctrina de trinitate retractata notio „substantiae“ a patribus et synodis sancita ita diluebatur, ut tres dii esse viderentur non amplius eadem et vera substantia quasi vinculo conjuncti. Contra has „Ruzelini blasphemias“ Ans. libellum conscripsit „de fide trinitatis et de incarnatione verbi“ magis theologicis, quam philosophicis argumentis ornatum. Tritheistam enim esse Ruzelinum (de fid. tri. 31 sqq., ep. II, 41; monol. 36 sqq.), qui in notione dei describenda erraverit nec incarnationis mysterium rationibus explicare valuerit. Attamen Ruzelini sententias Ans. recte intellexerit, an forte infestiore quam aequiore animo nobis eas tradiderit (de fid. tri. 2 „flatus vocis“): hoc nunc vix a quoquam probe sciri potuerit. Nam ne de ea quidem Ruzelini opinione, quam Abael. (ep. 21) accuratius attingit et qua docuisse videtur Ruz. „sicut pseudodialecticus ita et pseudochristianus,“ non res, sed unas notiones posse dividi: ne de hac quidem, quid sibi velit et quo tendat, satis inter se viri docti nunc consentiunt (cf. Tennemannium VIII, 162 sqq.; opp. Ritterus VII, 313). — Rectissime vero Ans. in defendenda ecclesiae de trinitate doctrina [19]) hoc identidem commonet, et vituperat, quod Ruz. non strenue primam substantiam (οὐσίαν) a substantiis quasi secundis et inferioribus (cf. ὑποστάσεις) [20]) sejunxerit atque ita notiones a patribus certo consilio subintroductas temere commiscuerit.

A dogmate igitur ecclesiae auctoritate jam firmato, tanquam de certissimo veritatis fundamento Ans. profectus est, ut notionibus et rationibus usus dogmatis cognitionem et intellectum efficeret. Ruz. vero et qui post eum vocantur nominalistae a notionibus profecti per rationem quaerebant dogmata, quorum praecepta per se non respuebant, sed quae sua ratione a fide aliena invenire non poterant.

Neque vero mutuus rerum theologicarum et philosophicarum abusus, quem saepissime apud patres et scholasticos videre licet, ne apud Ans. quidem strenuam et perfectam patiebatur philosophandi rationem. Quam ob rem non mirabimur, quod Ans. in certamine cum Ruz. inito realismi sectatorem et quasi propugnatorem praeter ceteros se esse professus, in pluribus quaestionibus a realismo descivisse videatur. Neque enim in doctrina de peccato originali explicanda Adamum omni ex parte hominem universalem esse satis demonstrat; [21])

---

[19]) ipsius Anselmi de trin. doctrinam vide infra (IV.)

[20]) totam hanc quaestionem Gilb. Porret. ita postea evitare studebat, ut substantiarum loco subsistentias introduceret ab illis non tam re, quam voce alienas.

[21]) cf. pg. 33 sqq.

neque in dogmate de satisfactione firmando eandem Christi indolem ut hominis universalis commemorat, qua indole Christo non attributa totum ejus opus vanum et irritum videri infra [22]) videbimus; deinde secum ipse pugnat, qui hanc satisfactionem in usum totius nostri generis datam esse statuerit et nihilo tamen secius eam certo tantum hominum numero contigisse contenderit (mon. 71; cur d. ho. I, 15 sqq.); denique (cur d. ho. II, 21) prorsus negavit, angelorum multitudine quasi familiam coelestem genusve effici coelicolarum.

Strenue vero et severe in dogmate de trinitate defendendo realismi norma et regula utebatur, quam proximi jam post eum scholastici aut immutare (Aristotelem secuti) aut prorsus derelinquere coeperunt (nominalismum professi).

Quod quidem jam in Abaelardo videre licet, quem utri factioni ascriberent, vel doctissimi viri et dubitaverunt et nunc dubitant. Attamen illud certe nunc inter omnes constat (per Cousinium), minime contra Anselmi justas et aequas de universalibus sententias eum pugnasse, quas in scriptis „de fide trin., de verit, in monol." sparsim invenimus: nam ex ipsius Abaelardi epistola (I, 21) apparet, nimiam Guilelmi (a Champeaux) audaciam ipsi displicuisse, quae veritatis ab Ans. servatae modos excederet. „Erat enim in ea (Guilelmi) sententia de communitate universalium, ut eandem essentialiter rem totam simul singulis suis inesse astrueret individuis, quorum quidem nulla esset in essentia diversitas, sed sola multitudine accidentium varietas." Hunc igitur a se coactum esse scribit, „ut deinceps rem eandem non essentialiter, sed individualiter" etc. diceret. — Itaque non ipsum petiit Anselmum, sed sectatorem ejus de nimia ipsius securitate dejecit; ita tamen, ut a Platonis auctoritate et praeceptis, quae retinuerat Ans., ad Aristotelis doctrinam confugisse videretur, secundum quam universalia in rebus et esse et apparere statuerentur.

Si vero quis propter mon. 9. etiam Anselmum eorum temeritatis arguere voluerit, qui „universalia ingenita et deo coaeterna" esse statuerint et inde hoc consequi opinati sint „semper fuisse animas cum deo nec ab alio incepisse, nec deum aliquorum (i. e. singularum rerum) esse factorem": is minime recte illum locum perspexerit, quo Anselmus non hoc docet, per se aeternas esse rerum futurarum imagines et ideas, sed hoc, a deo aeterno et ex judicio dei eas ut aeternas conspici. Quod nemo negaverit unquam, nisi qui temporum rationes et

[22]) cf. pg. 56 sqq.

modos in deum transtulerit. Propterea enim dicit res veras et per se validas esse universalia, quod a deo cogitata nequeant „nihil" esse (Hasse II, 436 sqq., 450), sed debeant esse „aliquid." — Quae sententia minime pugnat cum Abaelardi, [23]) qui quidem non hoc quaerebat, num essent universalia, sed unde a nobis cognoscerentur, [24]) et qui summo jure statuebat, universalia non posse intelligi, nisi in rebus et per res apparerent. — Pariter autem uterque ab eorum opinione refugiebat, qui „dialectices haeretici" (de fid. tri. 2), „nonnisi flatus voces" sive sermones putabant esse „universales substantias," quae post res essent et mentibus tantum conciperentur: (cf. Abael. ep. 21; Ans. de fid. tri. 2; ep. II, 41) hos enim (de fid. tri. 2) minime posse ullius dogmatis gravitatem concipere. Et quantum Abael. quoque ab horum errore afuerit, hoc inde licet cognoscere, quod „conceptualistarum" (hoc nomine a Cousinio invento uti liceat) norma et regula ab eo oriunda esse dicitur nominalistarum decreto opposita: „non tantum rei significatione prodere sermonem, quantum intelligentia conciperet." [25])

Quod tripartitum de „substantiis universalibus" judicium postea Thomas Aquinas ita retinuit (ad. gent. II, 39—44), ut aliquam certe veritatem in singulis his doctrinis antea inter se oppositis inesse ostenderet. Aeternas enim res esse, quatenus a deo cogitatae sint; certas tamen formas et „quidditates" iis non contingere, nisi in singularum rerum multitudinem quasi diffusis; quae vero appareat multarum rerum indoles et „quidditas," eam una voce et notione jam posse comprehendi. [26]) Eodemque realismi et nominalismi aliqua ex parte conjungendi studio ducti scholastici post. Ans. illud, quod statuebant inter „formas" et „materias" (sacramentorum praecipue) esse discrimen invenisse videntur.

Quam vero sic inter inimicos realistas et nominalistas pacem sibi fecisse videbatur Thomas: eam paullo post Duns Scotus denuo et in multa saecula turbavit. In rerum enim individuarum perfectione quasi acquiescere naturam creatricem; in individuis igitur „ultimam apparere realitatem;" „individuari prius

[23]) nam theol. Christ. I, pg. 1191; IV, 1336; introd. II, pg. 1095 non solum Platonem — id quod saepissime in aliis rebus fecit — magnopere vel in hac ipsa re dijudicanda collaudat, sed etiam prorsus cum Ans. congruit, quum intr. II, 1095 universalia „conceptus mentis" vocaverit „divinae"

[24]) cf. Albert. Mgn. „universale non est, nisi dum intelligitur."

[25]) cf. Aug. de trin. VII, 7: „verius cogitatur deus, quam dicitur."

[26]) Simillimum jam antea Avicenna de eadem re tulerat judicium.

esse quam personari“: talia statuit (op. Oxon. II, 3, 6; I, 36, 4; III, 1, 8) eaque et de deo et de hominibus pariter valere adjecit. Dei tamen naturam, praeter quem nemo vere unus sit, ita ab hominum „haecceitate“ putat differre, ut ille „purus actus“ et propterea per se sit, hi vero „compositi“ sint ac per deum creati (II, 12, 8).

IV. DE DEO.

Jam transeamus ad dei indolem, qualem depinxerit Ans., cum reliquorum de divino numine sententiis comparandam.

Quum Ans. Ruzelini de trinitate opiniones, quas „blasphemias“ esse acerbius quam aequius conquerebatur, refelleret, summo jure ipsi licuit hoc dixisse, per nominalismum strenue servatum animos ad rerum et individuorum cultum ac venerationem adductum iri. Attamen sui quem defendebat realismi strenue retenti pericula et exitus non perspiciebat, quamvis minime ignoraret, in quantam pantheismi suspicionem et invidiam istam rationem secutus pervenisset Erigena. [27] Et ex ipsius Augustini exemplo pariter jam debuit intelligi, non posse quenquam vetustos dualismi errores vitare, quin pantheismi speciem defendere videretur. Nam qui realistae vere unum nihil, nisi dei numen, cogitari posse censebant: eos vel etiam rerum unitatem et quasi ultima principia cum ipsa dei indole arctissime conjungere oportebat. [28] Quam necessitatem vel invitus intelligebat Aug., postquam a doctrina Neoplatonicorum prius ipsi magna ex parte probata (de civ. dei VII, 5; IV, 12; retract. I, 11, 4) recedere et in partes contrarias transire coepit. — Sed qua ratione jam Aug. et post eum Dionys. Areopag., ad quem in hac certe re scholastici provocare solebant, illud periculum evitaverant, eadem scholastici quoque omnes ad unum utebantur. Statuebant enim praeter Platonis et Plotini doctrinam creatum esse mundum nec per se jam cum divino numine ex necessitate quadam esse conjunctum. Et adeo „creationem“ mundi scripturae auctoritate firmatam omnes retinebant, ut vel Albertus (de caussis et processu etc. etc.)

---

[27]) Hic universam omnium quae essent multitudinem τὸ πᾶν sive τὴν φύσιν (in quattuor partes „divisam“ vocabat, et totam suam theologiam et philosophiam inde φυσιολογίαν esse ipse dixit (lib. IV). — Mysticam hujus doctrinae pietatem ii, qui physicas ejus rationes condemnaverunt, non satis respiciebant.

[28]) cf. pg. 28.

Aristotelem suum propterea vituperaret, quod aeternam esse mundi indolem docuisset: ex „nihilo“ [29] enim, „non ex deo,“ „non ex materia ulla“ animam esse creatam ipse docet. Alb. (cf. Aug. confess. XII, 7).

In explicanda vero de deo doctrina Anselmus primum notionem dei ex necessitate concipi ostendit (prosl. 1 sq., monol. 1 sqq.); deinde esse dei numen rationibus firmat (prosl.; contra Gaunil. apolog.); denique qui sit et quibus modis oporteat eum cogitari describit (mon 28 sqq., de fid. trin.).

1) Ac primum quidem ex attributorum multitudine, qua circumscribatur rerum indoles, hoc consequi, ut qualitates jam esse fingantur, quae e rebus appareant: sic magnum nihil dici posse, nisi magnitudinis notionem jam prius mente cogitaverimus. Per rerum vero multitudinem et per earum attributa ad notiones altiores et ad caussas superiores per singula quasi fastigia nos reduci, donec ad id quasi unum et ultimum rerum principium perveniamus, quod summum sit omnium quae sint, quoque majus nequeat cogitari. Quod numen per se jam et prae ceteris particeps esse omnium attributorum: haec enim in ipso non qualitatum instar, non partium loco conspici, sed nihil prorsus interesse inter ea absolute intellecta et inter ipsam dei naturam. Ex hoc tamen attributorum numero unum esse, quod per se consideratum omnia alia et superet et in se jam omnia complectatur: τὸ „esse“ sensu quasi absoluto intelligendum. Verissime igitur [30] sinceram dei indolem essentiae notione circumscribi.

Eandemque non solum apud graecos et judaeos [31] philosophos validam, sed etiam a patribus inde ab altero jam saeculo (Clemente Alexdr.) receptam et ab Aug. (de trin. VI, 5) Platonem et Proclum secuto firmatam videmus. Notionem enim „substantiae“ in deum transferri posse Aug. negavit, propterea quod ab absoluta et perfectissima dei indole omne accidens alienum esse deberet, quod quidem nunquam a substantia ulla posset sejungi (conf. IV, 16, 28 sq., de civ. dei XI, 10; de trin. XV, 8; ep. 120, 25). Unum igitur esse deum (de trin. VII, 11 „qui tres sunt unus; [32] I, 4; con. serm. Ar. 3; [33] de

---

[29]) Mire Erig. III, 14: „ineffabilem et incomprehensibilem divinae naturae inaccessibilemque claritatem omnibus intellectibus incognitam eo nomine (nihili) significatam crediderim.“ — „Dum ergo incomprehensibilis (deus) intelligitur per excellentiam, nihilum non immerito vocitatur.“

[30]) cf. nomen Iahve; et Apoc. 1, 4 „ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος.“

[31]) mon. 1—27.

[32]) opp. Tertull. et Dionys. Areop. „τὸ ἕν.“

[33]) „unus deus est ipsa trinitas.“

civ. dei XI, 24) nec posse eum virtutum numero describi, nisi quis eas ipsas in deo esse negaverit (de ord. II, 44 „qui melius scitur nesciendo;“ de trin. VIII, 3—5; ep. 120, 3, 13).

In qua negativa dei descriptione Augustinum Erigena praeter ceteros sequebatur, ita tamen, ut ab ethicis rationibus per theologiam suam ἀποφατικὴν ex Neoplatonicorum sententiis ortam recessisse nec amplius personam dei (cf. Aug. de trin. VII, 11; VIII, 1 sqq.), sed numinis alicujus incertam speciem docere videretur. Et quibus saepius usus est vocibus (cf. pg. 21; — III, 19 sq., II, 28) deum proprie et vere nihilum esse, eas posterorum plurimi perverse sensu „privativo“ non sensu „negativo“ interpretabantur, quamvis illud „per excellentiam nihilum non immerito vocitatur incomprehensibilis“ satis ostenderet, quid ipse sensisset Erigena III, 4 etiam professus, adeo deum auctorem esse τοῦ εἶναι, ut praeter ipsum proprie et vere nihil esset, et omnia sic tantum esse, ut deus in ipsis appareret.

Neque ab eo recesserunt Ans. et Thomas scholasticorum principes. Pariter enim atque Erig., attributis posse indolem dei describi, negaverunt, et ita quidem, ut Ans. eam, quam cum Aug. docebat essentiam, vere et proprie negativam i. e. absolutam esse identidem proferret (mon. 1—27), Thomas vero „viam remotionis“ secutus non solum ullo modo posse deum quasi finibus describi, sed etiam ullum in deo sive materiae formaeque sive essentiae existentiaeque discrimen cogitari posse negaret, absolutam dei unitatem et simplicitatem professus. In deo igitur nec substantiae, nec accidentium, nec generis, nec speciei, nec individui valere notiones, quippe cujus natura sit intelligendi facultas, qua et semet ipse et rerum multitudinem simul cognoscat. Et quum hoc adderet, attributa a nobis in deum translata non „univoce,“ sed vix „analogice“ de eo esse intelligenda: minime ab Erigenae negativa de deo sententia desciscebat.

Uterque tamen cum ethicis rationibus magis quam Erigena consuleret, jam non eadem qua Erig. constantia Anselmus certe [34]) in suis decretis perstitit: quod si fecisset, fieri non potuit, quin ipsi accideret, quod postea Guilelmo et aliis accidit, qui rerum veritate negata omnem veritatem in universalibus ante res cogitatis ponerent. Et eandem fere constat esse Anselmi quoque doctrinam (mon. 23, 19, 31 res „vix sunt“ comparatae cum deo): sed quamvis ejus verba et cum

[34]) Thomas enim „caussas secundas“ cum summa gravitate introductas efficaces esse statuit.

illorum et cum Erigenae (I, 12; III, 17) sententiis congruerent, tamen non prorsus eandem rem, nec eadem severitate, qua reliqui, defendebat. Sic enim pantheismi evitavit doctrinas ecclesiae invisas, ut creationem mundi per fidem ipsi certissimam graviter introduceret (mon. 28—34) ab Erig. philosopho semel (V, 20) et leviter perstrictam.

Et similiter postea Thomas (ad gent. II) cum Alberto (cf. pg. 20) ad Areopagitae exemplum provocavit, quem praeter ceteros suae aetatis philosophos creationis dogma jam supra dixi firmasse.

Superabat igitur in utroque tanto scholastico (Ans., Tho.) in hac quaestione dijudicanda fidei obsequium philosophiae libertatem. Attamen neutri ne sic quidem contigit, ut pantheismi pericula vere vitasse videretur, propterea quod — sive deum essentiam cum Ans., sive intellectum esse eum cum Tho. finxeris — in hac re theologiae praecepta cum philosophiae decretis minime poterant commisceri, quin et sincera creationis notio deleretur et deus cum rebus ipsis plus aequo conjungeretur. Ex aeterno enim jam in animo dei mundum fuisse per ideas cogitatum et conspectum, sic secundum Erig. Thomas (Su. I, 34, 3) docebat et quidquam interesse inter „cogitare“ et „esse“ in deo certe negabat [35]); de summa vero dei veritate res, quae per se vix essent, suam accipere veritatem statuebat Ans. (mon. 28—34).

Attamen quamdiu hoc tantum quaerebatur, quid esset dei numen et qua ratione describeretur ejus infinita indoles: fieri non potuit, quin notio dei magis physica identidem quamvis aliter per alios pronuntiaretur. Ethicam vero divini numinis quasi naturam ii demum vere quaerebant et attingebant, qui quid egisset deus respicerent de voluntate dei describenda profecti. Qui nullo modo negationum et pantheismi difficultatibus implicari poterant, quas esse vitandas ecclesia monebat.

2) Quod vero Ans. notionem dei, quam ipsa rerum et attributorum multitudine ostendi putabat, voce „essentia“ circumscripsit: inde occasio ipsi praebita est, hac voce quo jure usus esset ita explicandi, ut esse deum non solum „in intellectu“, sed etiam „in re“ rationibus et argumentis firmaret.

In quibus quaerendis ab Aug. recessit, qui eadem, qua postea Cartesius [36]) ratione de anima et dei sui ipsius conscientia

[35]) cf. Ans. tract. de praed. „sic scit, ut velit, sic vult, ut agat“ cf. Hasse II, 662.

[36]) Cartes. medit. III: „haec idea quae in nobis est requirit deum pro caussa, deusque proinde existit.“

profectus ad dei notionem et essentiam per nostram ipsorum indolem nobis certissimam ascenderat. [37]) Nam qui antea cum philosophis academicis de omnibus fere rebus dubitare inceperat, is in semet ipso ultimum et certissimum omnis cognitionis quasi principium invenisse sibi visus est. [38]) Per se enim haec certe ab omni dubitatione remota esse intellexit, et esse se et vivere et sentire et ratione cognoscere. Quo vero plura cognoscere et quo altius rerum caussas investigare studebat, eo ampliores et graviores in rerum natura perspexit leges ex una eademque summa veritate oriundas. [39]) In eaque demum, et per hanc (conf. X, 40; XII, 25) omnia et cognosci et recte posse dijudicari. Neque enim cognoscere nos quidquam statuit, nisi verbi divini nobis insiti auxilio et efficacia adjuvaremur. (Itaque recte Augustini quam docebat „memoriam" cum Platonis ἀναμνήσει comparaveris.) Aliter vero posse dei „essentiam" demonstrari (de trin. VIII, 3; conf. VII, 4), aut ipsam veritatem (i. e. deum) veritatis suae argumentorum rationumve aliunde petendarum indigere, prorsus negavit Aug., quippe quae et per se et per nos, e quorum animis resplenderet, satis comprobaretur. Nam „non est corruptibilis substantia dei, quod quando si hoc esset, non esset deus" (conf. VII, 4).

Anselmus vero postquam in monol. 1—27 de mundo et de rerum multitudine ratiocinatus ad id summum pervenit, praeter et super quod nihil esset, in proslogio jam ex ipsa notione dei concepta, esse deum rationibus firmare suscepit. Attamen eum, quem „fide quaesivisse intellectum" ex ipso libelli titulo scimus, meminisse oportuit, propriam et sinceram probandi rationem, qua ex rebus certis res incerta firmari deberet, non posse transferri in divinarum rerum quaestiones. Neque enim aliud quid ipsi propositum erat, quam, ut ratione intelligere ea studeret, quae vera esse per fidem et per conscientiam suam persuasum sibi haberet. Ex hac tamen una petere debebat argumentum a deo jam quodammodo non mentibus, sed animis inscriptum, quippe quem „ad se nos creasse" (Aug. conf. I, 1) magis sentiremus, quam probare possemus. Et istam nisi fallor suo etiam, quod novum esse opinabatur, argumento ita supposuit, ut ethicam jam crederet dei personam, quam logicis usus subsidiis demonstrare vellet. Itaque quantum sentiebat cum Aug., recte judicavit; sed nihil

[37]) Aug. soliloqu. I, 7 „deum et animam scire cupio."
[38]) cf. solil., de lib. arb., de vera rel. saepissime.
[39]) cf. XI, 10 „per creaturam mutabilem ad veritatem stabilem ducimur (cf. de vera rel. 57 sq.).

novi Aug. invenerat, hoc tantum professus „corruptibilem deum non esse, si et propterea quod esse deum jam animis convinceremur." Quod vero novi argumenti instar Ans. sibi addidisse videbatur, et quo de certa et „minori" re („esse in intellectu"), ad „majorem" et incertam, ne dicam alienam („esse in re") firmandam perveniri putabat: hoc jam per se et per logicum errorem concidere videtur. Deinde quamvis recte sensisset Ans., non posse cogitari „esse in intellectu" et „esse in re," quin tertium ullum cogitaretur τοῦ εἶναι („essendi") genus (τὸ esse absolutum): nihilo tamen secius meminisse debuit, ne sic quidem a sua cogitandi facultate et potestate ad rei ipsius veritatem se quasi ascendisse. [40]) Rescendit enim a deo per animi pietatem jam comprehenso ad deum mente intelligendum, non ascendit, ut ad discrimen illud provocem, quod ipse Ans. statuit interesse inter cogitare, intelligere, comprehendere. Et quamvis denique (prosl. 2) bene perspexisset, quid interesset inter „rem esse in intellectu" et inter „intelligere rem esse": tamen hoc non vitavit, ut ideam et imaginem dei sua mente cogitatam (de qua ipse proficiscebatur) commisceret cum ipso deo per conscientiae testimonium nobiscum communicato.

Ac majore veritate et aequitate jam tunc Gaunilo gravissimos proslogii locos mihi impugnasse videtur, quam qua Ans. suam rem ab hoc adversario — inepta certe similitudine uso — defendit. Neque posterorum quisquam, qui diligentissime esse deum probare vellent, rationem ab Ans. initam recepit. Itaque Albertus, qui ad quinque argumenta physica et ethica a Petro Lombardo cum e veterum scriptis deprompta (Aristot. de mundo 6; Cic. Tusc. I, 13, 28; de divin. II, 76; de nat. deor. I, 17; II, 37) tum ab ipso excogitata, duo addit apud Arist. (et Boëthium) inventa: Alb. inquam cum Anselmo minime omnino, sed in hoc tantum consentit, quod Ans. ab „insipientis" audacia ad conscientias et ad fidem provocaverit. — Et Thomas, a quo multo minus quam ab Alb. inter philosophiam et theologiam discrimen statui vidimus, minime quidem illud in dubitationem vocavit, aut argumentis posse probari deum esse, aut quid esset posse describi: attamen a) hoc addidit, quaecunque possent ratione probari a doctissimo quoque, ea prius jam a deo esse revelata, ne forte rerum divinarum cognitio ineruditorum

[40]) Ritterus VII, 336 propterea irritam esse Anselmi conclusionem addit, quod commiscuerit Ans. τὸ summum „esse", quod et propter quod omnia attributa sint, et alterum „esse", quo attributorum indoles appareat.

animis deesset (ad gent. init.); b) deinde non solum eam Anselmi sententiam refutavit, qua hic judicaverat (prosl. 1) „esse deum“ hoc nullius argumenti indigere; sed etiam a toto Anselmi argumento recessit hoc professus, certius et rectius „a posteriori“ sive „per posteriora“ ad eum ascendi, a quo omnia „moveri“ viderentur. — Atque gravius Duns Scotus negabat, posse dei „existentiam“ „a priori“ sive „propter quid“ ostendi tanquam „ex terminis“ jam certissimam, id quod docuisset Anselmus (op. Oxon. I, 1, 2). Attamen „a posteriori“ eam esse demonstrandam, quippe quum oporteret aliquid esse, quo majus cogitari non posset, et unde res initia sua et naturam accepissent, item quo omnia tanquam ad finem propositum commoverentur. — Acerbissimam vero sententiam a Kantii haud ita alienam contra Ans. tulit Occamus, qui theologiam posse ad litterarum artiumve ingenuarum praecepta revocari propterea prorsus negabat, quod de principio ejus et quasi fundamento divino nulla sane haberetur cognitio. Neque enim licere theologis intueri dei indolem, quam magis fingerent, quam describerent; neque per ullas rationes aut argumenta sive „per prius“ (i. e. „ex terminis“) sive „per posterius“ petita iis licere ad „existentiam“ dei ascendere.

Neque ullus ex tanto reliquorum scholasticorum numero in probanda dei „essentia existentiaque“ Anselmum secutus est, quamvis nullus eorum meliores certioresve quam ille probandi rationes invenisset. Aut enim ea, quam iniisset Ans., aut prorsus nulla ratione „esse deum“ posse demonstrari, vel ipse Kantius concessit, ubi de tribus generibus argumentorum ipsi non probatorum disputat.

3) Denique hoc considerandum est, quem et qualem deum esse Ans. statuerit. — Quam totam suam de deo et de trinitate doctrinam in monol. secundum realismi strenue servati praecepta et secundum Augustini exemplum (Aug. de lib. arb. II, 3—15; de trin. VIII, 3; de vera rel. 54 sqq.) accuratissime explicuit. Quod vero haec fuit realismi sententia, quaecunque virtutes et facultates apparerent in rebus, eas ante res et per se jam validas esse cogitandas: ex necessitate quadam hoc inde sequebatur, ut in „summo bono“ (mon. 1) omnes virtutes in rebus conspicuae jam per se et ante rerum initia contineri putarentur. Quidcunque igitur boni in se habeant vel homines vel „naturae,“ illud esse summum bonum, quod pariter sit summa justitia, ac bonitas summa summave sapientia dici possit (13—17). Inde vero ad „summum ens“ propterea esse perveniendum, quod singularum rerum, specierum, generum multitudines per singula quasi fastigia et magis magisque im-

minutae nequeant esse innumerabiles. Illud vero unum, quo majus cogitari non possit, esse numen divinum, quod ex se et per se oriundum sit, ac per quod, non ex quo rerum creata sit et conservetur natura et copia. Sicuti enim nihil factum sit, nisi per „creatricem dei essentiam,“ ita nihil vigere, nisi per ejusdem „servatricem praesentiam“ (cf. Aug. de civ. dei XII, 25), ita ut rerum conservatio videatur continua esse creatio. Si tamen rerum fragilitas et inconstantia cum ipsa dei veritate et aeternitate comparetur, illas vix esse videri (mon. 19, 28, 31). Rebus enim aliquam veritatem ex ipso dei Verbo, quod ejusdem sit naturae ac veritatis cujus ipse sit deus, contingere: ita ut per se esse prorsus negentur nisi per Verbum creatae (29 sq.) „veritatis“ divinae participes fiant. Nam „existendi veritatem“ intelligi „in Verbo, cujus essentia sic summa sit, ut quodammodo sola sit“; „in factis vero non esse simplicem absolutamque essentiam, sed verae illius essentiae vix aliquam imitationem.“ Aegre sane in ejusmodi sententiis pantheismi pericula esse vitata jam supra commemoravi. Verbum vero, quod ejusdem sit substantiae, qua ipse sit deus illud locutus, quamvis numero sit aliud (ἄλλο), minime genere aliud (ἕτερον) esse atque patrem. Per hanc enim „generationis“ imaginem optime quasi adumbrari putabat, quae inter deum et Verbum intercederet interna necessitudo et naturae communio. Patris vero et filii sive „amorem“ sive „communitatem“ esse spiritum sanctum ab utroque „spiratum“ (36, 39, 57; de process. spir. sct. cont. Graec.). Sic igitur ex patris memoria, qui semet ipse intelligat seque velit ametve, filii et spiritus sancti oriundas esse, quae vocentur, personas. A ratione vero et intellectu hanc doctrinam non esse alienam cum Aug. docet Ans.: nam non solum a Platone jam et a Plotino eam esse inventam, sed etiam in unoquoque homine hujus trinitatis apparere quasi imaginem (memoriam, intellectum, voluntatem) de fid. trin. 8; mon. 60 sp. 67. Pariter etiam Nili quasi tripartitam ostendi speciem, quippe quem et fontem et fluvium et lacum esse constet.

Frustra in hac de trinitate doctrina illud magnopere Ans. appetit, ut eadem dignitate patrem et filium, non illum hoc superiorem esse ostendat. Nam quamvis notionem personarum (ὑποστάσεων) assidue vitaverit, qua propter linguae quandam inopiam „una trinitas“ quasi adumbretur „trinae unitati“ opposita, tamen ejus ipsius, quam de trinitate protulit, sententia et qua vocem ὑποστάσεων, non rem ipsam vitare potuit, ea laborare videtur difficultate, qua inferior patre filius esse doceatur (vide supra). — Simulque in alterum et graviorem delatus est errorem, quum de animi nostri indole et facultatibus trini-

tatis internas rationes cognosci opinaretur. Neque enim 1) ipsi licuit cum Aug. (de trin. 10, 8 sq. de ver. rel. VII, 13) de finita hominum indole profecto, etiamsi in nobis divini numinis conspicua esset quasi umbra et similitudo (Aug. de civ. dei XI, 24; Ans. mon. 66), ipsam dei naturam ita secundum nostros modos et quasi terminos circumscribere, ut per se jam illi de deo valere putarentur; nec deinde 2) ulla exstat ratio, qua possit probari, facultates in nostris animis conspicuas, cum in deum transferantur, in ejus numine personarum instar esse cogitandas; praesertim quum sic praeter ipsius Anselmi voluntatem per unam dei essentiam strenue servatam adeo personarum vis et dignitas infirmetur, ut modi ejusdem substantiae haeretice (Sabell.) doceri videantur [41]; denique 3) ne hoc quidem Ans. efficere potuit, quod ipsi fuit propositum, ut ethicam dei indolem vel in ipsius trinitatis interna necessitudine ostenderet. Inde enim, quod docebat, quasi emanasse ex patre Verbum et in hoc sinceras rerum per se inanium imagines et veritatem contineri [42]: inde hoc sequitur, deum non posse cogitari sine Verbo nec Verbum sine creatura, ita ut interna quadam necessitate cum deo jam creatura statuenda esse videretur. [43]) Neque ab est ab hac judicandi ratione Thomas (de pot. 9, 9; Su. 1, 34, 3) haec professus: „postquam vero circulus (sc. ternarius) conclusus est, nihil ultra addi potest et ideo non potest sequi tertia processio in natura divina, sed sequitur ulterius processio in exteriorem naturam." — Quas rationes magna ex parte physicas nec a pantheismi prorsus tunc vitandi specie alienas ne sic quidem Ans. satis infirmare poterat, ut in veritate sinceram et dei et creaturae indolem positam esse doceret (monol. 28—34). Quasi enim emortua et inanis nec quae animorum desideriis satisfaceret dei natura sic ostendebatur, qui qualis esset erga nos non satis appareret, quamvis in nobis ipsius aliqua diceretur esse imago. Hanc igitur quaestionem ii demum vere ethice et secundum scripturae ecclesiaeque praecepta tractare potuerunt, qui ex voluntate et amore dei veram ejus „substantiam" et „essentiam" cognosci statuerunt.

Unde vero haec Anselmi de trinitate doctrina orta est et quo eventu ad posteros scholasticos transiit?

---

[41]) Gravius in hac re et audacius quam cum Aug. Anselmus, erravit Abaelardus, qui per dei omnipotentiam, sapientiam, caritatem (sive bonum affectum [theol. IV, pg. 1300; op. Paris. 1855]) i. e. per tres dei „proprietates" tripartitam dei et totam indolem ostendi posse putabat.

[42]) Simillime Aug. de civ. dei XI, 10; XII, 25; de genesi IV, 16.

[43]) vide pag. 27.

Ex patrum numero Ans. sibi ducem elegit Augustinum, praeter ceteros post Athanasium de hoc dogmate bene meritum. Primus enim Augustinus, Platonis ac Plotini istam „trinitatem" [44]), quam juvenis ipse crediderat quamque tunc multi a christiana veritate haud ita abesse putabant, longe abesse ab ea, quam doceret ecclesia, perspexit. Primum enim duo quasi principia, et materiam per se validam et deo quodammodo contrariam rejecit; deinde ethicam divini numinis et trium „substantiarum" sive personarum indolem demonstrare suscepit; denique pari pignitate singulas trinitatis personas esse contendit.

Eam quam primam modo posui quaestionem jam supra attigisse mihi videor, ubi monebam, dualismi invidiam sic a theologis esse vitatam, ut ad Aug. magisque ad Areopagitam provocare et secundum eorum et scripturae auctoritatem creatum esse mundum graviter asseverare consuessent. Attamen qui sic fugerent dualismi pericula, eos in pantheismi praecepta ne ab Aug. quidem nec ab Ans. strenue vitati incidisse, hoc item supra posui. — Altera vero quaestio, quomodo ethica dei et trinitatis indoles ab aliis aliter sit demonstrata, majoris hoc loco est ponderis. Eum enim deum ostendebat scriptura sacra eumque animi hominum semper appetebant, qui de coelo suo et de solitudine sua descenderet ac nobiscum semet ipse communicare et posset et vellet. Eumque igitur theologi christiani describere debebant suum deum, qui personae instar esset et ageret nec amplius per inanes notiones et viles virtutum similitudines magis mentibus cogitaretur, quam animorum pietate conciperetur. Summa vero difficultas inde oriebatur, quod quaerendum fuit, quanam similitudine una divini numinis natura circumscriberetur et tripartita [45]) dei indoles ac ratio facile intelligeretur.

Primus Aug. in describenda dei natura de imagine ejus in nostris animis conspicua (de civ. dei XI, 24; de vera rel. VII, 13) esse proficiscendum statuit, atque per memoriae, in-

---

[44]) Quam trinitatem Plotinus non ab uno Platone petiisse, sed *τὸν πρῶτον θεόν*, quem Plato vocaverat *τὸ ἀγαθόν*, conjunxisse videtur cum *νῷ* (cf. *τὸν κόσμον τὸν νυητόν*) ab Aristotele deprompto et cum *ψυχῇ*, quae in universa rerum natura secundum Stoicos philosophos conspicua esset et efficax. Nimium certe discrimen, quod Philo statuerat interesse inter *τὸν ὄντα (θεὸν)* et *τὸν λόγον* (sive *νοητὸν κόσμον*) Plotinus negavit et sic ad Christianorum doctrinam aliqua certe ex parte appropinquavit: neque enim *τὸν λόγον* solum vocabat *νοητὸν κόσμον*, sed etiam *νοητὸν θεόν*.

[45]) vocem *τριάδα* invenit Theophilus (ad Autolycum II, 15).

tellectus, voluntatis similitudines (de trin. X, 8 sq.) trinitatem vere cognosci putavit. Qua vero injuria hanc Augustini rationem secuti essent plures praeter Ans. cholastici, quos constat fere omnes censuisse, cognosci ex „animis rationalibus“ dei „imaginem“, apparere in creatura rationis experte dei „vestigium“: hoc jam supra in Anselmi doctrina brevissime dijudicanda monui. Neque ipse Thomas dubitavit, quin ultro probe se scire profiteretur, quot et quantis ea res difficultatibus premeretur (Su. I, 32, 1).

Quam ob caussam alii scholastici, physicam ne sic quidem dei notionem evitari opinati, alteri similitudini ab Aug. inventae et ab amoris ratione petitae magis favebant. Quam quidem per se invenerit Aug., an ad eam per Porphyrium adductus sit, quippe quem magnopere collaudatum esse constet, propterea quod tertiam divini numinis quasi substantiam non cum Plotino postposuerit primae et alteri, sed inter eas interposuerit: hoc dijudicare non audeo. Illud vero facile apparet, interposito spiritu sancto inter patrem et filium parem dignitatem singulis trinitatis personis facillime jam posse servari. Item, personarum speciem et ethicam trinitatis necessitudinem apparere, ubi ex amore et voluntate ea cognoscenda esse dicatur: nemo est qui negaverit unquam. Sic igitur Aug. amoris et voluntatis similitudine in deum translata et ethicam dei naturam ostendisse et parem singulis personis dignitatem tribuisse videbatur.

Attamen jam Ans. perspexisse videtur, unde haec Augustini ratiocinatio laboret, et tantum aberat, ut eam in suas cogitandi rationes reciperet, ut vix leviter eam attingeret. Et cautius certe, quam antea Aug., Victorini et alia sane ratione Duns Scotus de amoris et voluntatis similitudine profecti docuerunt: Aug. enim in eo erraverat, quod inter patrem „amantem“ et filium „amatum“ interponeret „mutuum amorem“ sive spiritum sanctum, cui personae vis ac dignitas sic prorsus negata esse videbatur. Ricardus vero spiritum sanctum „testem et socium“ mutui amoris esse per ipsius „condilectionem finxit et ita tres certe personas uno trinitatis amore complexas ostendebat.

Atque in hac certe re Anselmi doctrinam, si ethicas respicimus rationes, inferiorem esse sententia a Ricardo prolata statuemus, quamvis ne huic quidem contigerit, ut quae ratio ac necessitudo intercedat inter dei substantiam et divinas personas, perspicue explicet. — Is certe deus docebatur, qui et vivere et quoties vellet „ad extra“ patefieri et in animos descendere posse videretur. Pariter etiam de doctrina Duns Scoti judicabimus, qui „purum actum“ deum esse ratus

recte ab Anselmi et Thomae sententiis ita recessit, ut dei naturam et trinitatem minime ex intellectus similitudine cognosci ostenderet, sed ad summae voluntatis ac libertatis rationem eas revocaret.

Quid vero de substantia essentiave dei cum tribus ejus quasi personis comparata statueretur, hoc inter scholasticos non satis convenit. Neque ipse quidem Ans. suum de hac re judicium protulit (mon. 78) [46], quamvis acerrime Ruzelinum (de fide trin.) impugnasset tres „substantias“ (intelligas ὑποστάσεις) sicuti „angelos animasve“ inter se diversas in deo esse professum, quae quidem trinitas eadem voluntate et eadem potestate usa hoc quasi vinculo contineretur. Neque certi quidquam de tota hac quaestione decerni poterat, quum voces minime cum rei veritate convenire appareret: aut enim per eos, qui realismum et inde „essentiam“ dei aliquam profiterentur, Ans., Abael., Gilb. Porret, Petr. Lomb. [47]) personarum inanis fingebatur notio e „proprietatibus“ quibusdam hausta, aut per eos, qui cum Ruzelino et Joachimo a Flore in nominalismi praeceptis niterentur, ea „personis“ singulis tribuebatur dignitas, qua servata „substantiam“ dei quasi nomen inane esse statuerent.

Quid denique de eo statuendum sit, quod Ans. (de fid. tri. 8; mon. 60 sq.) cum Aug. senserit, minime a ratione et intellectu abesse trinitatis mysterium, quod a Platone, Plotino, Porphyrio recte jam esse perspectum dicit Aug.: hoc facile inde apparet, quod ex tot et tantis philosophis, patribus, scholasticis ne uni quidem licuerit, justam et perspicuam de isto dogmate sententiam proferre, quae aliis quoque viris et aetatibus fuerit probata.

V.

DE PECCATO.

Ultima jam haec suboritur quaestio, quidnam de ipsa hominis natura ejusque facultatibus [48]) tunc putatum sit, quibus dei aliquam imaginem quasi adumbrari inter omnes convenisse jam supra monui. Quae res brevissime nec tota erit attingenda,

---

46) minime favit notioni personarum propter linguae quandam inopiam in deum translatae. cf. pg. 27.

47) Sent. I, dist. 25, 33.

48) Anselm. monol. 67 sqq.

propterea quod de anima suas sententias composuisse Anselmo non licuit morte oppresso. cf. pg. 7.

Attamen exstat ejus, quod summopere ad nostram pertinet quaestionem, de peccati indole et origine gravissimum judicium ex quattuor ejus libellis (de lib. arb., de casu diaboli, tract. de praedest., de pecc. orig.) conspicuum. Gravissimum vero hoc propterea puto esse, quod inde ab Ans. omnes fere ad unum scholastici eadem ratione peccati indolem et descripserint et imminuisse videantur. — Docebant enim 1) animas in singulis hominibus creari, [49]) et inde a singulis etiam peccari aut non peccari, neque vero „traducem animae traducem esse peccati", quam doctrinam Tertullianus invenerat, Aug. quamvis aegre receptam defenderat. 2) Deinde ab omnibus Augustinum [50]) et prae ceteris Erigenam [51]) secutis ex parte negativa peccati indoles ut μὴ ὄντος describebatur; atque ita, ut taetra et foeda peccati natura, quam identidem Aug. commonuerat inimicitiam dei esse, valde negligeretur. Quantum enim olim aberat Aug. ab ista Thomae voce, qua „felicem culpam" ulla certe ex parte hic praedicare potuit (ad gent. IV, 30 sqq.)! 3) Tertium ex animorum „finita" indole initia sua et vires capere peccatum, quod sine justa caussa per abusum libertatis fiat. 4) Quantum denique tota haec de malo et de peccato opinio a rationibus vere ethicis aliena et ex physicis oriunda magna ex parte fuerit, etiamsi in libertate et voluntate sinceram hominis indolem plurimi posuerint: (secundum Aug. de civ. dei XIV, 6; de trin. XI, 2 Erig. IV, 6 sqq., Ans. prosl. 1, 4; de lib. arb.) hoc inde apparet quod praedestinationem ab Aug. severe [52]) introductam praeter ipsorum

[49]) Odo de Cambrai; de pecc. orig., Ans. de conc. virg. 7; Hugo Victor. de sacram. I, 7, 30; Petr. Lomb. sent. II, 17; Bonav. brevil. III. 6; Thomas Su. I, 118, 2.

[50]) Aug. de civ. dei XI, 9: malum bono non esse oppositum et contrarium, sed „abesse" a bono; de lib. arb. III, 13 malum cogitari non posse nisi „in bono;" de civ. XII, 7, 9 malum esse „incausale;" neque „caussae efficientis" indigere, sed ex „caussa deficiente" quasi exoriri; malum non „fieri," sed in intermissione officiorum positum esse.

[51]) Erig. deum ex cujus „summa bonitate" omnis creatura originem ceperit cum ipso dei numine conjuncta, ne „scire" quidem quidquam mali (IV, 16; V, 25); item, ne hominibus quidem, quum universam creaturae indolem respiciant, mali quidquam apparere (V, 35 sq.); et propterea quod malum non „vere sit" (μὴ ὄν), etiam ullius caussae et quasi fontis hoc expers esse, ut „incausale" (IV, 6; V, 35). — (Inde quod μὴ ὂν malum esse statueba Er., „Gothescalci" de „gemina" praedestinatione opinionem rejecit; unde non Erigenae solum, sed etiam Hincmaro Rhemensi summa excitata est invidia).

[52]) sed cf. Aug. de dono persever. 52 sq.: „praedestinatio sanctorum, quam postea diligentius et operosius necessitas defendere compulit."

reliquas sententias retinuerint; qua quidem concessa fieri non potuit, quin aut in deo jam malum esse statueretur, aut malum esse prorsus negaretur.

Sed jam ad Anselmi sententias breviter componendas transeamus. Ubi Ans. de creaturae „rationalis" [53]), quam potestate immortalem esse fingit, libero arbitrio loquitur, cui opposita sit absoluta dei libertas ab omni inconstantia remota, notionem magis quam ipsam naturam et facultatem liberi arbitrii ita describit, ut per se jam propensa sit voluntas „ad similitudinem dei adaequandam" (mon. 65) vel (de lib. arb. 3) „ad volendum, quod debeat", atque ita „ad rectitudinem voluntatis" tendat (de con. virg. 1; de ver. 1, 12). Jam Augustinus enim „aequilibrium arbitrii" a Pelagio et Coelestino defensum prorsus rejecerat ut a veritate christiana alienissimum, et „bonam boni necessitatem" esse nostram libertatem docuerat, quippe quae facultas per gratiam dei nobiscum communicaretur (de pecc. mer. I, 9; de praed. III, 12; cf. Thom. Su. II, qu. 55—68). Ans. igitur Augustinum secutus libertatem „realem", non „formalem" (Pelag.) docet, quippe quae (formalis) vel in animalibus conspicua sit nulla necessitate coactis (de lib. arb. 2, 11). Dissentire autem videtur ab Aug. (de lib. arb. 10 sq.), ubi amissum esse liberum arbitrium negat: attamen loquitur eo loco non tam de usu, quam de potestate arbitrii, quod ipse (peccato originali aliqua ex parte non concesso) per se quidem integrum esse, sed in re propter servitutem diaboli initam perversum esse putat (de lib. arb. 10—12). Diabolum enim voluntate hominum in beatitudinem adipiscendam (de cas. diab. 13) conversa abusum homini, qui propter finitam ipsius indolem ex necessitate quadam posset peccare (de cas. diab. 5, 6, 11, 14, 17; cf. Aug. op. imperf. V, 60), in ipso ejus fortunae discrimine persuasisse, ut non amplius vellet quod deberet (cur d. ho. I, 15, 22). Sic peccatum esse commissum, cujus „auctor negativus" dicitur deus. Quod malum „credimus esse nihil" (de pecc. or. 8; cf. de casu diab. 9, 4, 18—20), nam „malum si esset aliqua essentia, esset a deo, a quo necesse est esse omne quod aliquid est" (de pecc. orig. 5). Pariter etiam peccatum „originale" [54]), quod „non pertineat ad hominis essentiam", nihil esse nisi „nuditatem justitiae (de conc. virg. 2); de lib. arb. 9; cur d. ho. I, 22), nec pertinere ad imputationem [55]) culpae ab Adamo contractae (de conc.

[53]) sic cur d. homo I, 18, 22.

[54]) sic semper Ans.: cf. Hasse II, 445.

[55]) cf. Ambros. enarrat. in psal. 48, 9 „iniquitas Adae non mea."

virg. 5, 23), quippe in quo singuli fuerint „materialiter, non personaliter" (de pecc. orig. 23). Nam creatas esse [56]) singulorum animas et singulis (prosl. 18) inde non tam peccatum „originale", quam peccatum „personale" esse perniciosum; quod quidem oriundum ex voluntate nullatenus posse excusari praedestinationis divinae specie et praetextu, quippe quae sit „necessitas sequens", non sit „necessitas praecedens" (tract. de praed.). Neque haec sententia refellitur altera illa „sic scire deum, ut velit quae sciat, atque ita velle eum, ut agat, quae velit", dummodo meminerimus illud Origenis *οὐ γίνεται ἐπεὶ ἔγνωσται, ἀλλ' ἔγνωσται ἐπεὶ γίνεσθαι ἔμελλεν.*

Hanc igitur sententiam Anselmus tulit de peccati origine, indole, efficacia.

Quique post eum de eadem re docuerunt, ii vix in minimis rebus ab ejus exemplo et quasi norma recesserunt. Nam hoc tantum 1) secundum Aug. (de nuptiis et concup. I, 23 sq., de pecc. orig. 31) addiderunt Thomas (Su. II, 1, 82, 3) et Bonaventura (sent. II, 30, 2, 1), ut in explicando peccato originali cum „defectu originalis justitiae" [57]) conjungerent „concupiscentiam"; hanc tamen jam Duns Scotus Anselmum in hac re secutus (sent. II, 30) denuo omisit.

Severius 2) deinde quam Ans., Petrus Lomb. praeter ceteros (sent II, 30) cum Aug. illud asseverat, in Adamo jam unumquemque hominem non solum „quasi in massa" et „ut in materia" peccasse, sed etiam hoc addit: „sicut ab illo uno homine, sic ab eodem uno peccato immunes esse non possunt, nisi ab ejus reatu absolvantur." — E parte vero contraria Abaelardus praeter reliquorum sentiendi severitatem peccati vim ita imminuerat, ut peccati loco „malum" seu „vitium" multo levius et a culpa hominum magis remotum introduceret. Quae quidem „vitia" omnino posse vitari opinabatur. Neque tamen in hac sua sententia perstitit, quippe qui cum Anselmo (et Petro Lomb.) aestimaret, vel „in infantibus naturaliter propagatis peccatum originale esse aequale et omnes, qui in illo ipso morerentur, aequaliter damnari." In hac enim re cum Ans. certe, sed gravius hoc, errasse videtur: quod cum malis ex primo peccato oriundis, quae ipsis licebat statuisse, culpam Augustini gratia introducebant ab ipsorum decretis alienam.

---

[56]) Sic Pelagius, quem scholastici Augustino dediti vitare debebant, docuerat: „animas a deo dari credimus, quas ab ipso factas dicimus" (confess. Pelag.).

[57]) Ans. de ver. 12 „rectitudo veritatis propter se servata est just."

3) Alicujus denique ponderis haec inter posteros fuit quaestio, utrum ex intellectu, quem voluntate superiorem finxerunt Erigena, Ans., Thomas, an ex una voluntate (Duns Scotus) oriunda esse peccati initia judicarentur. A qua sejungi non poterat altera quaestio de libertatis indole, quae ab aliis cum Aug. et Ans. quasi „realis" esse et ad optima quaeque tendere, ab aliis „formale" esse aequilibrium dicebatur.

Sed haec hactenus. Jam transeamus ad alteram hujus libelli partem, qua clarissimus ille Anselmi dialogus „cur deus homo" dijudicetur, ut hoc quasi exemplo usis nobis appareat, quantum Anselmus in rationibus ab ipso initis perstiterit. In qua demum parte licebit, ea commemorare, quae Anselmus de „Verbi" natura, opere, merito statuerit; quae quidem ejus judicia a quaestionibus magis philosophicis huc usque tractatis abesse debebant.

Pars altera.

DIJUDICATUR ANSELMI DE SATISFACTIONE DOCTRINA.

BREVISSIMUM DIALOGI „CUR DEUS HOMO" INSCRIPTI ARGUMENTUM.

Duo potissimum sunt, e quibus quasi principiis tota haec disputatio de justitia dei cum ejus misericordia in concordiam revocanda initium cepisse videatur: alterum πρακτικὸν, ut solatium afferatur animis peccatorum pondere fere oppressis; alterum θεωρητικὸν, ut necessitas ista, quam patres „convenientiam" esse opinati erant, cur deus homo sit factus, ad unam hominum culpam referatur.

Satisfactionem enim ad remissionem peccatorum impetrandam (I, 11—19) necessariam, quum debuerint, non potuerint praestare homines (I, 20—24): necesse esse deus homo eam praestandam curaverit, quippe qui unus (II, 1—15) culpam infinitam (II, 16) a genere humano contractam nullique damno comparabilem (I, 21) et potuerit (II, 6) solvere et voluerit (I, 9; II, 17). Absolutam enim et perfectam peccatorum remissionem cogitari non posse, quin deleatur honor (I, 15, monol. 15 sq.) dei triunius (II, 18), qui positus fuerit in sancto rerum modo et ordine hominum protervitate temere violato. Nam ad id mundum ex nihilo (mon. 7—14) esse creatum, ut inde quasi ex speculo imago dei reluceat cognoscenda, et ut creatura rationalis eum, quem debeat, deo tribuat honorem, ipsa aliquando post victoriam de diabolo (I, 22) reportatam civitati angelorum supernae (I, 15) asciscenda. Attamen aliter rem cessisse, atque debuerit: quum homo libero arbitrio abusus (de lib. arb. 3, 5) atque ita in servitutem diaboli redactus (de lib. arb. 11) deum „exhonoraverit", quatenus dei honor non penes ipsum ejus [58]) immutabile numen requiescat (I, 14 sq.) sed positus sit in rerum ordine pie servando.

Hanc autem esse peccati indolem, ut deus honore suo privetur. Quam audaciam (de casu diab. 27) a deo omni-

[58]) Hasse II, 576: honor „immanens" (et „transiens").

potenti ideo non statim ab initio esse repressam, ne donum [59]) illud liberi arbitrii (de lib. arb. 2) „inamissibile" [60]) sic periret. Attamen quamvis admiserit deus tale nefas in se perpetratum: cum propter justitiam suam et honorem sui numinis servandum necesse esse, praecaveat deus, ne hominum consilia prospere cadant; tum propterea quod idem videri possit exitus et eventus esse hominum improborum ac piorum, summa justitiae severitate in illos esse animadvertendum. Quod utrumque nisi fiat, a deo ipso rerum, quem instituerit, ordinem everti, atque suum a se deleri honorem, quem ipse posuerit in illo servando.

Poenae autem hanc esse vim et indolem, ut rationali creaturae id eripiatur, quod audacter conata sit sibi arripere. — Sed quid hoc est? — Anselmus [61]) voluntatem beatitudinis adipiscendae statuit principalem esse caussam peccandi, quam homo „inordinate" ita sibi parare voluerit, ut divinae se subtraheret ditioni. Unde ex necessitate quadam poenae solvendae consequi rationem a deo instituendam, ut deus se homini subtrahat atque sic potestatem ei auferat ad beatitudinem istam perveniendi.

Creaturae vero rationali jam nihil aliud reliquum esse, quam ut aut pereat — nam quamvis „potentialiter" (de lib. arb. 10—12) habeat facultatem bene agendi, tamen in servitutem diaboli redactam „actualiter" eam nihil valere —; aut ut divini numinis majestatem ultro agnoscat. Et utraque quidem ratione servari dei honorem: sed hanc fieri non posse ab iis, qui integritate sua amissa peccato inserviant, alteram vero eam esse, ex qua ipsius dei consilium de rerum ordine et de futura hominum conditione conceptum summum detrimentum capere videatur.

Nonne igitur alteram cogitari posse rationem, qua honori dei violato satisfiat? Praesertim quum secundum Anselmi [62]) opinionem Augustini contrariam 1) liberum hominis arbitrium „potestate" etiamnunc vigeat, atque (monol. 65) „ad volendum quod debeamus, ad rectitudinem voluntatis" tendat; 2) deinde, quum poena propterea sit restitutio tantum negativa, quod vel etiam ipsum peccatum „nihil" sit sive „non aliquid" [63]) (de conc. virg. 5, 8, 27), ita ut poena sit satisfactio quaedam ab

[59]) idem 386, 388.
[60]) cf. Aug. de civ. dei XXII, 30.
[61]) Hasse II, 442.
[62]) Hasse II, 383—388. — Kahnis II, 124.
[63]) Hasse II, 436 sqq.; 450, 468.

hominibus sua sponte suscepta, quae adaequet culpam audacter contractam. Nonne igitur poenam amissa vi sua perniciosa in aliquam certe propitiationis similitudinem rediisse videri?

Sed quod sic ut per se validum cogitatione fingatur, hoc re vera fieri non posse. — Neque bipartitum, quem modo introduximus, argumentorum numerum quidquam valere apparet, quum 1) arbitrium potentialiter sit liberum, non actualiter; et quod magis de notione arbitrii, quam de re disputet Anselmus; 2) deinde quod non solum culpae infinitae (II, 16; I, 21) sit satisfaciendum, sed etiam pretium quoddam praeter honorem dei ablatum debeatur. Atque tantum abesse, ut creatura rationalis ea, qua sit, infirmitate obstricta, possit infinitum illud nescio quid sua sponte restituere, ut suis viribus prorsus nihil dare i. e. donare queat ei, cui per se jam „debeat omnia sua et hoc ipsum quod sit“ (mon. 65; cur deus homo I, 20—24; II, 11). Quam vero satisfactionem praestare se posse, eum opinaturum esse, qui tantum absit ab imagine dei, quam debeat ostendere[64]) (mon. 7 sqq., 29—34 cpp.), ut non solum non vicerit diabolum, sed victus istius servitutem subierit? (de lib. arb. 10 sqq.) atque ita quidem, ut in ipsum deum inde infamia quaedam et contumelia conferatur, quippe quum diabolus creaturam dei rationabilem eo consilio ad abusum liberi arbitrii impulerit (I, 7), ut consilium dei de civitate superna post lapsum malorum angelorum jam explenda per eos ipsos evertatur, quos deus in horum locum sufficiendos apud se constituerit!

Itaque quum homo satisfacere non possit (I, 24), poenam jam esse exercendam; attamen, quum poenae severitate evertatur dei de rerum ordine consilium, in quo explendo divinus honor sit positus: necesse esse, infinita culpa 1) ab infinita persona et 2) ab hac sua sponte solvatur. — Deum igitur unicum posse, quod debeat homo: sed theanthropum fieri non posse aliam trinitatis personam, nisi alteram[65]) (de fide trin. 5), quippe quae sit „principalis“ dei imago. Ita vero deum hominem esse factum, ut persona, non natura divina humanam assumeret naturam (II, 17) atque Christus ex virgine — sicut „deceret“ deum — natus proli Adamaticae sine ulla peccati contagione redemptor futurus insereretur. — Divinam vero personam non solum id quod debeat homo, i. e. „majus quam omne quod sub deo sit“ (I, 21; II, 16), sed etiam plus posse solvere, atque ita quidem, ut 1) honor divinus restituatur in vita ultro[66]) tradenda (I, 9; II, 2): quam mortem simul acerrimae contra peccatum pugnae esse testimonium (I, 8, 22; II, 11) atque (II, 19) exemplum virtutis exercendae hominibus propositum[67]); 2) deinde vero ita, ut plus trinitati (II, 18) offeratur, quam valeat culpa hominum infinita, quatenus ipsa dei absoluta magnitudo et majestas ultro et (II, 3, 11) praeter poenae solvendae necessitatem semet ipsa ponderi peccatorum opponat. Sic opus quoddam „supererogationis“[68]) a theanthropo praestari, nec posse deum, quin cum tali Christi dono parem ponat calculum. Attamen quum Christus deus nihil doni instar a deo (i. e. a trinitate II, 19) posset accipere, atque sic Christus mortem jam frustra perpessus esse videretur: hanc certe inter Christum et deum convenisse „convenientissimam“ (II, 19) rationem, ut meritum Christi in homines conferretur.

[64]) Hasse II, 216 sqq.

[65]) id. II, 299 sq., 304 sq., 317; — Kahnis II, 281.

Pluribus nunc, quid de hac re statuendum sit, videamus.

Jam quum in eo sit, ut ad ipsam hujus doctrinae vim et gravitatem accuratius perscrutandam prope accedamus: illud quispiam omen haud ita prosperum esse judicaverit, quod 1) Anselmi disputatio a necessitate[69]) demonstranda profecta in convenientia terminetur (II, 19) jam a patribus, quamquam aliter[70]) explicita; et 2) quod disputatio a deo „humiliato“ (I, 4) exorsa, deinde in Christi exaltatione plerumque versata (I, 8 ter, II, 13 sq.), denique (II, 19) eum habeat exitum, ut filius dei fere in eo haereat, quidnam consilii capiat de tanto merito (cuinam?) parto.

Quae non tam verborum, quam rerum discrepantia statim ab initio perspicua eo graviorem movebit de totius doctrinae integritate dubitationem, quo magis inter omnes constat, primum hujus doctrinae summam ab Anselmo in systema esse redactam.[71]) Quod qui suscipit, cum alienum ab omni opi-

[66]) Hasse II, 582, 600.

[67]) id. 598.

[68]) „quod sponte fit et praeter debitum (cf. du Cange, lexic. etc. etc. tom. VI, 440 sq. Parisiis 1846).

[69]) Aliter Iren. haer. I, 4, 10: cur λόγος sit caro factus et passus sit, hoc scire, nullius esse momenti. — Greg. Naz. orat. 33: utile esse, de hac re recte sentire, sed errare de ea, sine periculo esse (cf. Hasse II, 486).

[70]) Hasse II, 494.

[71]) Thomasius, dogm. III, 1, 216; Baur. 186.

nionum praejudicatarum specie principiis, quae nulla unquam dubitatione possint labefactari, ita nixum esse oportet, ut sibi ipse per totam rei explicationem constet nec tantillum quidem ab iis unquam recedat.

I. Hoc nemo est, quin ultro fateatur, doctrinam de satisfactione a patribus [72]) leviter tactam et per occasionem tantummodo perstrictam, a recentioribus theologis nonnullorum scholasticorum exempla secutis [73]) vel adauctam vel emendatam aeque cum Anselmi „alterius Augustini“ memoria coaluisse, atque doctrinas de peccato, de gratia, de praedestinatione ab Augustini auctoritate non posse sejungi.

a) Quibus verbis temporum ratione habita conscriptis et meritum Anselmi laudesque ei debitae pronuntiantur, et quod judicium inde ab isto (12.) saeculo posteri de ea re tulerint, adjicitur [74]): primum enim Anselmum post tot saecula et verbum istud et rem istam ita in theologiam introduxisse, ut utriusque usus et veritas inde ab eo usque ad nostram memoriam valeat [75]), quamvis totius dogmatis caussae et argumenta magna ex parte aut commutari aut certe emendari coeptae sint. — Attamen fieri non potuit, quin hujus doctrinae forma 1) nimis sermonibus et moribus illius temporis accommodata, neque 2) satis in scripturae veritate fundata cum ea fere jam aetate, qua prolata est, periret. Altera enim (1) ratio sine dubio in hac re magis rejicienda, propter opiniones praejudicatas rerum veritatem destruit; altera (2) non tam res necessario laedit, quam rerum certe formas deformat. — Cujus rei jam hic notissimum in memoriam revocare liceat exemplum et argumentum. Quamvis enim nec verbum τριὰς nec doctrina de trinitate in novo test. aperte pronuntiata inveniatur, nihilo tamen secius verbum illud a Theophilo [76]) (ad Autolycum II, 15) inventum quasi praesagium evasit doctrinae illius post duo fere saecula firmatae atque inde per saeculorum vicissitudines servatae. Quod idem valet de verbo θεάνθρωπος [77]). Novo igitur nomine vetus veritas non immutatur; et scriptura sacra res nobis dat pie intelligendas, non litteras tenaciter amplectendas.

b) Itaque quae scriptura de poena generis humani, de sacrificio Christi, de redemptione inde facta docet: ea Anselmus

[72]) Dorner, de persona Christi I, 838, 949, 958, 962, 1068. Thomas III, 1, 155 sqq.
[73]) Dorner II, 422 425.
[74]) Thom. III, 1, 245.
[75]) Hasse II, 609,
[76]) Kahnis II, 56.
[77]) Martensen, lib. dogm. 209. 4. edit.

voce „satisfactionis“ complexus est, quam vocem a Tertulliano ex usu quidem forensi usurpatam, sed ab Anselmo demum omnibus ex partibus nunc bene nunc temere definitam Anselmus referre solet ad culpam (I, 21) generis humani; in hac certe re auctoritatem Gregorii Magni secutus, cujus exstat praeclarissimum illud [78]) (moralia 17, 46): „delenda erat culpa, sed nisi per sacrificium deleri non poterat.“ Culpae notionem recepit Anselmus; sed id quod infra (pg. 59) videbimus, vim sacrificii ethicam fere omisit. Magnae vero propter hoc certe laudes a viris doctissimis ei tribuuntur, quod tam strenue et tam graviter culpam nostram introduxerit, ut inde ab hoc tristi nostrae salutis fonte profectus totum suum systema explicet.

c) Jam vero redeo ad vocem istam, ex qua totum dogma nomen traxit, accuratius perscrutandam, ut videamus, primum in quem sensum patres ubi tulerit occasio eam ex usu forensi translatam acceperint, deinde ad Anselmi novum usum et sermonem transgressi, quid sibi velit propria [79]) verbi vis ab omni saeculorum et morum tactu et abusu purgata (cf. I, 11).

Jam apud veteres verbi significatio tripartita invenitur; quae una pertinet ad aes alienum creditoribus solvendum, altera ad excusationem temeritatis cujusdam precibus efficiendam, tertia — ab altera haud ita aliena — ad poenas veniae impetrandae caussa subeundas. — In eum igitur sensum statim ab initio sermo deflectere incepit, ut satisfactio cogitari non posset, nisi culpam quandam aut rebus (1) aut factis (2, 3) contractam secuta. Quam ob rem minime mirum est, quod Tertullianus, vir juris peritissimus, saepe hoc verbo ex arte sua ipsi jam notissimo usus sit, ubi de operibus hominum [80]) loquitur ad iram dei placandam susceptis. Priusquam vero hic verbi usus multis saeculis post transiit in significationem disciplinae [81]) ab ecclesia Romana institutae, Hilarius Pictaviensis et Ambrosius Athanasii exemplum aliqua certe ex parte secuti [82]) et inde a Christi morte ὑπὲρ et ἀντὶ ἡμῶν tolerata profecti vocem istam transtulerunt in Christi meritum ex „passione ejus vicaria“ oriundum. Neque aliter unquam verbo usus est Anselmus. — Attamen idem, quod olim Tertulliano, accidit Anselmo, et multo majus, quam illius, hujus doctrina

[78]) Thomas III, 1, 214.
[79]) du Cange, lexic. etc. VI, 74 sq.
[80]) Kahnis II, 240; Hasse II, 492.
[81]) Kahnis II, 330 sq.
[82]) Hasse II, 492.

inde cepit detrimentum. Neque enim Anselmus potuit, quin satisfactionem eam, quae tunc temporis intelligeretur, in systema suum reciperet et doctrinam suam in hoc quasi fundamento conditam labefactaret. Duas vero propter caussas hic verbi abusus Anselmo minus prospere cecidit, quam Tertulliano: primum quod hic non idem professus est, quod ille: ex hoc quasi principio novum quoddam se doctrinae systema esse compositurum; deinde, quod satisfactionis notio Tertulliani aetate magis integra fuit in judiciis solum versata, quam potuit esse Anselmi temporibus in sermonem et abusum ordinis equestris tunc validissimi translata. Nec est difficile dictu, cur ex necessitate quadam ita sit statuendum: neque enim tantum inter se distant jus, quod notissimum fuit illi civi Romano, et fas, cujus rationes sequi debebat idem (Tert.) theologus, quantum discrepant inter se jus, Anselmi aetate jam magna ex parte oppressum, et superbia ista ex animorum pertinacia et honoris cupiditate oriunda, cujus rationes non sine magno incommodo in rerum divinarum ordinem possunt transferri. Ex hac igitur rerum commutatione in Anselmo, tanto philosopho[83], paene mira, quae omnino negligat, quid sit satisfactio per se considerata, et qualis tunc putata sit esse; ex ea judico totum fere Anselmi doctrinam quasi naufragium facere coepisse[84]. — Sed qualem sinceram satisfactionis et per se validam notionem esse statuemus?

Ab universa vocis satisfactionis notione, quae bipartita est, usus jam pridem in partem quasi negativam aberrasse videtur, ita ut „satis" illud ad compensationem debiti cujusdam contracti pertinere putatum sit; neque, id quod vis verbi per se considerata neutiquam impedit, altera notio (positiva) retenta sit, secundum quam satisfacere non sit retribuere, sed mandatum officiumve quoddam diligenter exsequi. Quam notionem ab Anselmo omnino neglectam nimis fere postea nostri tenebant dogmatici, qui satisfactionem in una ponebant Christi „obedientia activa" et sejungebant ab ea meritum redemptionis tanquam ex „obedientia Christi passiva" oriundae. Attamen quamvis hi non possent opus Christi divellere, quin totam ejus personam discinderent: hoc certe recte perspexerunt, ex justa ac plena vocis cognitione bipartitam etiam rei tractandae consequi rationem.

d) In hac igitur re multis sane ex partibus Anselmum errasse

[83]) Hasse II, 47, 40 sq.

[84]) I, 19 vel ipse Anselmus „lavationem" cum „satisfactione", commiscet et effectum valde incertum (II, 19 sq.) pro caussa ponit meritoria.

statuemus. Attamen eo majorem in altera quaestione, cui praestanda sit satisfactio, doctissimi viri semper ei tribuerunt laudem, quia opinionem de pretio isto, quod patres[85]) inde a Justino[86]) diabolo esse praestandum fabulati erant, justissimis (I, 7; II, 19) argumentis adeo impugnasset, ut jam tunc concidisse videretur et evanuisse haec opinio, quamvis aliquantulo post per Bernard., Petr. Lomb., Hug. Vict.[87]) denuo esset sustentata. Neque aliter potuit Ans. statuere, quippe qui 1) intelligeret absolutam[88]) esse dei indolem; et 2) statueret, priusquam homines possent ex diaboli potestate liberari, culpam eorum esse delendam ipsosque a peccato esse redimendos; 3) denique doceret, ex ipso generis humani casu diaboli illecebris perpetrato culpae diaboli quasi cumulum adjici, propterea quod dei consilium de suo rerum ordine per homines non tam instituendo, quam restituendo (I, 16 sqq.) astutiis diaboli in irritum cecidisse putat, ita ut diabolum per homines in deum tetendisse atque plaga hominibus illata dei numen petiisse profiteatur. Qui igitur fieri posse, ut deus absolutus tantillum diabolo debeat? Immo nonne ipsa satisfactione deo (sic Greg. Naz. et Joh. Damasc.) data diabolum, atrocem hominum victorem, devictum ac prostratum jacere, quatenus sic dei honorem in integrum restitutum esse appareat? Attamen ne in hac quidem patrum opinione refutanda (I, 6 sq., 16 sq.) Ans. potest, quin aetatis suae litium ac rixarum cupidae haud immemor vel deo pugnacem fere animum tribuat, quem „contra diabolum sua uti fortitudine" potuisse graviter asseverat[89]) (I, 7). Quod non solum multo magis, sed etiam multo periculosius fecit in „honoris" vi et indole describenda.

II. Quod Anselmus omnia quae sunt aut in deo aut extra deum (I, 15) refert ad ejusdem triunius (II, 18) honorem; quamvis statim ab initio omnia ab hac notione removenda esse censeamus, quae vilia et inepte ficta illa aetas ex sermone equitum receperit: nihilo tamen secius hac ipsa re Anselmus doctrinae suae auctoritati et integritati summum intulisse videtur detrimentum, quippe qui sic non solum divini numinis naturam et majestatem laederet, sed etiam caussas et rationes ipsius satisfactionis novas et a scripturae auctoritate alienas

[85]) Kahnis II, 240 sq., Hasse II, 487–494; Thomas. III, 1, 166, 266. Baur 155.

[86]) Thom. III, 1, 167.

[87]) Thom. 216; Kah. II, 289, 290 sq. — ad Petr. Lomb. (III, 19) cf. Tho. 213; 188 sq. Baur 79, 92.

[88]) Baur 155. Hasse II, 428.

[89]) cf. Iren. (Thom. III, 1, 172.)

subintroduceret. Aeque enim erravit a *dei honore* profectus atque bene meritus est de integra rei veritate promenda, quum *hominum culpam* premere coepisset.

a) Haec jam argumentis sunt firmanda; et incipiatur de deo, cujus numen, dignitatem, sanctitatem sic laedi modo dixi. — Primum enim praeter ipsius Anselmi sententiam deletur *absolutum* dei numen, quippe quod jam pendere videatur ab alio nescio quo *extra* deum posito; deinde vero minus ἠθικῶς, *minus honeste* et sancte perfecta ejus indoles describitur, quam quae cum per se debeat esse, tum appareat in conscientia nostra et in libris sacris adumbrata.

Jam vero si „honorem“ut saepe fit sic volueris circumscribere, ut statuas esse gravitatem illam ex ingenii morumque dignitate oriundam, qua nihil majus possit amitti (cf. 1, 11): jam dixerit quispiam, minime tu tibi constas, qui promiseris, non provocaturum te esse ad *abusum* hujus verbi jam pridem inventum; atque oblitus esse videris, quid ipse Ans. de *immutabili* dei conditione saepe proferat (I, 14 sq.)

Bene enim duae res sunt distinguendae in notione honoris accuratius explicanda; neque in eo est acquiescendum, ut honos referatur ad cultum illum ac reverentiam, quam homines inferiori loco nati debeant iis, qui aut originis aut morum dignitate praeter ceteros excellant. Hic certe est honor, sive haec est *τιμή*, quae quidem notio arctior est quam *δόξης*. Attamen jam ex I, 14 sq. apparet, uberiorem ac latiorem verbi vim Anselmum non fugisse, quippe qui distinguat honorem dei absolutum et in ipso positum, qui nequeat amitti, et honorem „relativum“ i. e. in ordine rerum servando positum, qui *flagitetur*[90]) *a creatura rationali*. Ille vero honor est objectivus, ἡ δόξα τοῦ θεοῦ, hic est honor subjectivus, ἡ τιμή (sive ἡ δόξα): δόξαν igitur, ex qua invisibilis divini numinis natura resplendet conspicua, sequitur altera δόξα, quae est τιμὴ a creatura debita. Illa est „proprietas“, quae insit in ipsa persona nec possit ab ea sejungi; haec accedit extrinsecus nec pertinet ad ipsius naturae integritatem, ab aliis recipienda. — Haec certe est bipartita nostrae, de qua agimus, notionis vis ac ratio: utram vero teneat Anselmi disputatio tanquam potiorem, facillimum est intellectu. Ad alteram (2) semper redit, quae non *virtus* sit, sed praemium quoddam virtutis a creatura tam fragili tanto creatori retribuendum. — Neque vero hoc solum offendit, quod deus statim ab initio hunc honorem *petere* atque *propter hunc* exigendum consilium de mundo creando

[90]) cf. Baur 165.

cepisse fingatur; sed etiam illud, quod jam numen *absolutum* cogitare nequeamus, quin (!) *referatur* ad creaturam atque ab ea quasi *pendere*[91]) videatur: ita ut ipsius „sufficientia“ paene deleatur. Nam quam ob caussam honorem suum aliunde deus petiverit atque ex se ipse, nisi ejus indiguerit? an forte haec placuerit opinio, propter quamlibet caussam et ex nulla justa ratione oriundam talia deum statuisse? Ab ejusmodi autem temeritate in deum transferenda tantum abest Ans., ut ex tali sentiendi modo[92]) promat argumenta, quibus casum diaboli explicet.

Sed sic jam leviter attingimus hujus de „honore“ quaestionis alteram partem, quam minus ἠθικῶς ab Ans. esse tractatam supra posui. — Et nonne jam hoc debet offendere, quod vanitas ista superba, in qua exigenda et adaugenda illis saeculis ordo potissimum equester ambitiosius, quam honestius gravitatem suam ponebat, ad dei numen et ad consilium ejus aeternum tam audacter referatur, tanquam haec fuerit rationum divinarum certissima norma et regula? Nam etiamsi ab „honore“ tunc petito omnem jam removeas turpitudinem et ferociam: illa tamen remanet macula, quod 1) in hac dei descriptione non appareat deus sanctitatis, non amoris plenus, sed honoris *sui cupidissimus*; et quod 2) idem deus *suo* tantum commodo *parando* consulat, quem *per se* jam sibi sufficere opinamur. Nam tantum abest, ut ultro et benigne hic deus *descendat* ad creaturam suam, ut ne ob aliam quidem caussam gratia et salus hominibus contigerit, quam ne ipsius dei honor ex hominum quasi ruina summum capiat detrimentum. Haec vero fatalis esset necessitas[93]), quae non solum absolutam dei conditionem everteret, sed etiam amoris et gratiae sinceritatem omnino exstingueret, quam alibi docet Anselmus (I, 9, 18; I, 12, 14, monol. 65; II, 5, 16, 18). Ita enim hic nos vult deus, ut se velit; et ut suae tantum utilitati inserviens nihil prorsus nostra caussa faciat, sed suis commodis metiatur omnia.

Itaque si in unum[94]) dei honorem creata et conservata est creatura, 1) cum dei dignitas minuitur, tum 2) pietatis nostrae quasi fontes obstruuntur et 3) hoc dei exemplo ad imitationem proposito ne moribus quidem honestus ullus im-

[91]) Dorner II, 360, 456.
[92]) cf. Hasse II, 427 (de casu diab. 5–7).
[93]) Baur 170; cf. 169, 172, 175, 180 sq. — (Thom. III, 1, 226 sq. aliter sentit. Hasse II, 604 sq.)
[94]) Hasse II, 496, 604. Kahnis II, 247.

pulsus contingit. — Hic enim deus nobis oppositus est; sed ad deum creatos nos esse confidimus in summam cum ipso concordiam asciscendos.

c) Ultima vero jam haec moveatur dubitatio de sapientia dei deprompta. Secundum Ans. I, 16 sqq.[95]) enim hoc fuit in ipsa creatione dei consilium, ut in locum malorum angelorum ex civitate superna elapsorum nescio qui sufficerentur atque per eos certus ille numerus coelicolarum restitueretur. Qua restitutione diabolus vinci debebat, quo moliente clades prius erat accepta: atque per homines deus de illo victoriam volebat reportare. — Nonne vero jam hoc mirum est, quod denuo deus honorem suum in rerum ordine servando positum in tantum discrimen adduxerit, et hosti suo (in quem I, 7 praeterea „fortitudine“ sua uti potuerit), ut tantum triumphum denuo parare certe posset, permiserit? praesertim quum deus non solum ancipitem indolem liberi arbitrii hominibus dati, sed etiam miserum eventum et abusum praesciverit. Et quî fit, ut in homines hujus infortunii tanta culpa referatur, qui non ipsi, sed per quos diabolus deum aggresus sit? Si deus opinor absolutus honorem suum in rebus finitis(!) voluit reponere, ab hoc adversario et potuit et debuit honorem suum aliter defendere, atque ita certe, ut suum exercitum jam semel amissum nec[96]) novis subsidiis inde adauctum denuo opponeret eidem (II, 20) adversario antea victori. Et facile tunc debuit fieri, quod statuit Origenes[97]), ut in infinitum repetenda esset οἰκονομία salutis nunc jam praeformata. Neque enim illud docet Anselmus, aut diaboli vires per Christum esse fractas, aut hominum facultates ex ipsius merito esse adauctas.

d) Si vero jam respiciemus ad dei consilium de hominibus et de explenda civitate superna captum (I, 15 sq.[98]): ut hoc consilium ab August. jam mire excogitatum recte dijudicari queat, statim ab initio in hac re valde dubia ad scripturae auctoritatem confugiendum erit, nisi forte quis cum Schleiermachero[99]) omnem de tali re disputationem praecidendam esse statuerit. Quamvis enim Ans. totum hunc dialogum praeter scripturae auctoritatem et unam secutus rationem (cf. prolog.) conscripsisset: tamen hoc ei accidere non debuit, ut contra ejus praecipuam[100]) auctoritatem, qua nulla

95) cf. Augustin. (Thom. 226).
96) de lib. arb. 10–12; Hasse II. 388.
97) Kahnis II, 35.
98) Hasse 516 sqq,
99) lib. dog., ed. 1, 211–218; cf. Hasse, lib. dog. ed. V, 166 sqq.
100) Hasse II, 52 sqq.; Kahnis II, 232. — cf. pg. 12.

posset cogitari gravior, suas proferret sententias ab illa et ῥητῶς et διανοητῶς alienas. Nam dum Ans. de aditu nobis aliquando ad angelos patefaciendo ita statuit, ut inde novam quandam dignitati nostrae accedere amplitudinem opinetur (I, 5): scriptura angelorum conditionem nostra jam nunc inferiorem depingit (cf. Hebr. 1, 14; Gal. 3, 19; Ioh. 1, 52; Luc. 15, 7; Eph. 3, 10; I. Petr. 1, 12; I. Cor. 6, 3). Et quamvis eo, quem ultimum scripsi, loco malos tantum intelligas angelos: ex eorum certe potestate de bonorum viribus licet conjicere, praesertim quum ne ipsi quidem diabolo tantum potentiae ab Ans. tribuatur, ut prorsus nequeat ab hominibus devinci (II, 20; I, 22). — Multum etiam a Genes. 1, 26 Anselmi, quam finxit creationis caussam, distat opinio.

III. Ethicas autem scripturae rationes secuti tres dei virtutes, sanctitatem, amorem, gratiam, nos in locum honoris ab Ans. leviter introducti tanquam principia et fontes universae revelationis substituere consuevimus. Quo facto nostra oratio cum ea a) Anselmi sententia in concordiam redit, secundum quam docet, aliter atque debuerit hominem egisse, atque hanc ordinis a deo sanciti violationem esse initium peccati et culpae, quae major tota rerum creatarum multitudine et dignitate tamen dei amplitudinem e parte contraria non adaequet. Eam igitur esse naturam peccati, quae infinitum dei (numen; apud Ans.) honorem audacter aggrediatur; et eam culpae gravitatem, quae sit laesae majestatis amplitudo.

Sed de indole peccati quid statuerit Anselmus, in iis videas, quae supra ex quattuor Anselmi libellis (de lib. arbitrio, de praed. tract., de pecc. orig., de casu diab.) attuli pg. 33, 34. Ubi haec invenies: peccatum ad indolem creaturae rationalis finitam reductum et in re negativa positum, quippe quod oriatur ex singulorum voluntate, personale esse neque tantum ejus de nobis esse imperium, ut non potestate certe libertas[101]) remanserit ne originali quidem peccato violata.

Multum vero abest haec peccati notio ab Augustini de eadem re sentiendi severitate[102]) neque id solum offendit, quod negativa sit ejus vis, et inviolata libertatis facultas, sed etiam quod ingens illud peccati originalis „pondus“ (I, 21) totum genus humanum complexi fere tollatur. Neque satis sibi constitisse videtur Ans. in pondere peccati ex more scholasticorum minuendo. Nam si hoc fuit dei consilium et hoc mandatum

101) id. 388 sqq.
102) Kahnis 114 - 128.

(I, 22; II, 20) homini datum, ut per eum profligaretur diabolus; si igitur statim ab initio homo ut miles dei adversarium suum noverat et inimicitias inter hunc et dominum suum motas perspexerat: nonne eo turpius superatus est, qui ad pugnam emissus non pugnaret et ipse sua libertate abusus servitutem hostis subiret? An forte homo tunc infirmior fuit, quam esse debebat in altero proelio committendo? (II, 20) Minime.

b) Sed jam redeo ad libellum nobis propositum, qui peccatum ponat in violatione ordinis a creatore infinito constituti, atque hanc ob caussam doceat (I, 21; II, 16) „infinitum“ esse peccatum, ac malum „nulli damno comparabile.“ Culpam enim „toto mundo“ majorem esse contractam, majorem, quam omne quod sit sub deo.“

Et novum inde Anselmus subiit periculum.

c) Primum enim quispiam potuerit proferre, rem infinitam non posse superari altera infinita. Meminisse enim oportet non solum culpam hominum esse aliqua satisfaciendi ratione adaequandam, sed etiam plus deo esse retribuendum. Sed in verbis non haerebimus, ubi res sunt emendandae. — Quamvis igitur recte doceat Ans. infinitam esse culpam, tamen falso interpretatur hanc vocem „infinitam“, quippe qui culpae ethicae pondus comparet cum rerum creatarum pretio atque sic transeat a parte ethica in partem physicam, tanquam ejusdem sint momenti. Quae rerum commutatio eo magis offendit, quod 1) ipse Ans. ex voluntate proficisci peccatum statuat, cujus indolem (sive bonam sive malam) rebus nunquam possimus commetiri; et 2) quod similiter honos dei sine dubio praecipue res est ethica, quae cum ipsa persona quodammodo coaluisse videatur, ita ut nunquam mercedis instar pretio quodam possit aequari.

Apparet igitur, misceri ab eo peccati pondus et poenae magnitudinem, quod fieri non potuit, nisi Ans. duplici errore obstrictus fuisset: altero, qualitatem ejusdem rei eandem esse, atque ejus quantitatem; altero, ex necessitate quadam semper peccata consequi poenas. Ex altero autem illo hoc sequeretur, ut 1) internus voluntatis modus ac ratio semper cognosceretur ex eventu et opere externo; 2) atque hanc ob caussam etiam rebus et factis compensari posset illius perversitas: quod longum abest a justitiae integritate et a rei veritate. Alter vero error acquiescit in justitiae severitate, quae animos confugere vetet ad reconciliationis novas vias per gratiam divinam patefactas.

d) Illud enim quamvis Anselmo concedamus a deo peccatum adeo tantum posse admitti, ut ab ipso peccati eventus

et exitus impediantur [103]) atque ita „justitia ejus et in se et in creaturam rationalem nullo peccato obstrictam“ exercenda patefiat: tamen non amplius cum ipso sentiemus, ubi disputat de necessitate poenae solvendae, quam caeterum optime in privatione beatitudinis et divini consortii [104]) posuit. — Nam si deus tam avide honorem suum arripere dicitur, nonne pati aliquid videtur? et qui is deus est, quem adeo ejus ipsius creatura possit aggredi, ut summam ejus petat possessionem (haud ita verecundia dignam)? Honorem vero jam supra rejecimus; et quum deus noster non se, sed nos quaerat paterno amore: jam illa poenae necessitas non tam ex honore dei servando, quam ex salute nostra sancte efficienda sequitur. Haec enim salus pars potior est consilii dei de mundo ab initio capti.

Poenae vero magniudo quum ea esset, ut perniciem in nos adduceret: a deo non sua, sed nostra caussa alia ostensa est compensatio non rebus [105]), sed animis et ethica ratione efficienda. Unde sanctus apparet amor dei, qui oderit peccatum in homine dilecto. Hic autem amor ostendit expiationis facultatem, quae deum nobis reconciliet nosque in concordiam cum ipso reducat.

Quae indoles valde alia est atque poenae vis: haec enim ad vim et potentiam superiorem provocat et eum prosternit, qui sese illi opposuerit; illa efficit, ut ultro homo poenam in se recipiat laesae justitiae solvendam atque animo fracto mutataque voluntate concordiam quaerat cum deo redintegrandam.

Et illam poenam antiquissimi jam populi sic luebant, ut homines sontes sui ipsorum loco vicarium offerrent sacrificium, suam culpam ita professi: hanc vero reconciliationem scelerum conscii et deorum numini invisi non ipsi, sed per sacerdotem quendam curarent. Expiari enim non poterat sons nisi per insontem, qui quidem in ceteris rebus ejusdem esset atque ille generis atque conditionis. Hic vero insons repraesentabat gentem suam et ex ejus manibus ab omni scelere alienis numen placandum propitie recipiebat sacrificium illud vicarium.

Sic igitur ad satisfactionem vicariam pervenitur, quae ethica est; a qua Ans. tantum abest, ut in jure divino haerens rerum, non morum satisfactionem postulaverit.

---

[103]) Hasse II, 579 sqq.
[104]) ibid. II, 581 sqq.
[105]) Hasse II, 584, 595.

Quamvis igitur optime Ans. in hac re [106]) Athanasium [107]) secutus ex ipso Christi munere sacerdotali demonstret, qua necessitate Christus homo fieri debuerit: tamen hoc non est obliviscendum, Anselmum non ethicis illis rationibus, quas omnino omiserit, nec profectum a parte hominum expiationis capacium, sed studio honoris dei deo servandi huc esse perductum. — Apud Ans. enim deus omnia agit, et altera trinitatis persona generi humano eo tantum consilio succurrit, ut per eam trinitati satisfiat: reconciliationis vero, quae pertineat simul ad homines, ne mentio quidem facta est in toto libello! Errat igitur Martensen (261), qui eam describit doctrinae ab Ans. compositae sententiam, ut non solum in animis hominum (sic Abael.), sed etiam in animo dei reconciliationem factam esse interpretetur. [108]) Nam jus suum [109]) quaerit deus Anselmi, non hominum salutem; attamen in illo exigendo in summas angustias totum dei consilium adducitur. Hanc enim postulare dicitur ab hominibus satisfactionem, ut praeter honorem infinitum etiam pretium quoddam sibi retribuant; quod neutrum quum possint praestare, et quum hanc novam (I, 24) culpam [110]) ex absoluta necessitate poena jam secutura sit illis exitiosa: honor divinus ex utraque jam parte in summo versatur discrimine. Nam aut non satisfit justitiae [111]) et tunc impune peccaverunt homines; aut poena de iis capta non amplius exstant, per quos 1) victoria de diabolo reportetur et 2) civitas superna expleatur. — Jamque eam Ans. ingreditur viam (II, 6 sq.), praeter quam ex divina necessitate ullam aliam posse cogitari prorsus neget; attamen mox apparebit, Anselmi explicationem tot et tantis premi difficultatibus, ut aut ipse rationem non satis justam iniisse, aut deus modo multo aequiore infirmitati humanae potuisse succurrere videatur.

Haec vero est Anselmi ratiocinatio breviter comprehensa. Quum ea satisfactione egeat deus, quam facultates humanae non adaequent, quaeri, quanta ea sit (non qualis), et num a

---

[106]) Contra Iren. V, 1, 2; 16, 1; IV, 6, 1 (Thom. III, 1, 170);

E nostris theologis Nitzschius (dog.); Liebnerus (dog. 12 sqq., 287); Dornerus II, 1227 sqq., 1243; Rothius (eth. II, 280 sq.) vel etiam praeter peccati infortunium Christum docent ex necessitate hominem fieri debuisse. — Aliter Aug.: „si homo non periisset, Christus non venisset.“ (cf. Martensen 225, 265); pariter Hollaz. 1, 12 sq.

[107]) Thom. III, 1, 191; Dorner I, 841; Baur 100 (de Eusebio).

[108]) cf. Greg. Naz. ad Rom. 9, 16.

[109]) Baur 172.

[110]) Hasse II, 579 sq.

[111]) ibid. 584—593.

quoquam tanta possit praestari. Personam vero infinitam, quae sit divina, solam infinitae culpae expendendae sufficere: adesse igitur tres, quae possint satisfacere, et quum possint, debere ex iis solvere unam, ne totius pereat trinitatis honor (II, 18).

Jam vero videamus 1) per quem, 2) qua ratione, 3) quo eventu satisfactio illa pensitata fuerit.

IV. Deus sane homo factus est: sed deus est triunus (II, 6 sq.).

a) Audiamus igitur Ans. (de fid. trin. 4, 5): „deus non sic assumpsit hominem, ut natura dei et hominis una eademque sit, quod nonnisi in una persona dei esse potest. Diversas enim personas unam et eandem personam esse cum uno eodemque homine nequit intelligi. Nam si unus homo cum singulis pluribus personis una persona est: necesse est, plures „personas esse unam personam: quod non est possibile.“ „Quapropter impossibile est, deo incarnato secundum unamquamlibet personam, illum secundum aliam quoque incarnari.“

Et quam personam prae reliquis decebat hominem fieri? cf. II, 9. [112]) Alteram, quippe quae sit dei imago et idea [113]) mundi per ipsam creati. In hanc praeterea filii personam (II, 9) „quasi specialius“ peccaverant homo et diabolus falsa similitudine dei „per propriam voluntatem“ praesumpta, quum filius solus vera patris similitudo esse crederetur. Ea vero debuit esse ejusdem incarnatio, quae et per virginem (II, 16; de con. virg. 18) facta deum „deceret“ et extra similitudinem propagationis Adamiticae (de con. virg. 11) miro modo effecta novam quandam creaturam ostenderet, quae (II, 10) ab omni peccati originalis contagione libera posset peccare „actualiter“, non posset „potentialiter“.

Altera igitur persona divina assumpsit [114]) humanam naturam: sic enim rectius nos dicemus, non, deum hominem esse factum, ut in hoc quoque sequamur Ans., qui ad infinitam partis divinae indolem Christi satisfactionem satis amplam et opus supererogationis [115]) satis validum reducit.

b) Quod vero Ans., id quod saepissime facit, I, 8 ter. 9; II, 13, 19) [116]) magis quam Christi indolem humanam respicit ejus „exaltationem“ [117]) atque adeo interdum, ut fere *δόκησιν*

---

[112]) Kahnis 283, 272 sq.; Dorner II, 376 sq.

[113]) Dorner II, 456.

[114]) Kahnis II, 281 sq.; Dorner II, 373 sq.; Baur (de trinit. II, 789 sq.); Hasse II, 595, 299 sq., 304 sq., 317 sq.

[115]) cf. Cyrill. Alexdr. (Thom. 203; Baur 183).

[116]) Hasse 594 sq.

[117]) Kahnis II, 248, 281, 283.

docere videatur (I, 8 „non quia ita erat, sed quia ille sic se habebat, ac si ita esset“): magnum illud subit discrimen, quod postea Brentius et — qui paullo post eum vigebant — theologi Tubingenses non solum senserunt, sed etiam ita evitare voluerunt, ut in munere Christi sacerdotali certe „retractionem“ quandam statuendam esse profiterentur. — Tantum vero abest, ut ad hanc ratiocinationem, quae ex doctrina strenuae naturarum in Christo unionis oriunda est, Ans. pervenerit, ut ne hoc quidem senserit, deum (Christum) a se introduci, qui dolorum non expers patiatur. Quod quidem deo posse accidere ipse negavit [118]) (I, 8). — c) Deinde ne in alia quidem caussa sibi constitit ex parte hominum desumpta. Nam qui negaverat (I, 6; II, 8) [119]) posse redimi genus hominum per hominem, quia tunc hujus hominis servi essent omnes redempti: is ea ratione, qua per alteram trinitatis personam dicit redemptionem factam esse, hoc certe assecutus est, ut homines in dei (II, 8) ditionem sic esse redactos statuere posset. — Attamen nonne genere hic alius est atque ii, pro quibus satisfecit? Et num hujus satisfactio — quamvis infinita et superabundans sit — poterit valida esse, quum ἄλλος (i. e. homo) peccaverit, et non tam ἄλλος (i. e. homo), quam ἕτερος (deus) expiare illum voluerit? Nonne incarnationis tunc omnis necessitas sublata esse videtur, i. e. nonne modo faciliore potuit deus hominum culpam exstinguere, quippe qui unus eam removendam curare deberet?

d) Attamen haec Anselmum non movent: infinita enim culpa per infinitam personam ei erat solvenda; quo facto trinitati satisfactum esse putat. Quod leve de ethicis rationibus judicium aliqua certe ex parte haud ita alienum mihi esse videtur a Grotii [120]) sententia contra Socinianos prolata. Quem constat juris peritissimum vel in doctrina nostra ab ipso defensa adeo in justitiae ac legum dignitate strenue servanda occupatum fuisse, ut rationum ethicarum prorsus oblitus aequitatem fere violasse videatur. Dummodo enim jus valeat et laesae justitiae poena luatur: a quo luatur, hoc fere nihil ad rem. [121]) Itaque commutationis istius, quam commemorat, summum exemplum fingit in satisfactione a Christo praestita exstare; atque eam ejus describit indolem, ut a sonte in insontem poena

[118]) cf. Dorner I, 170.
[119]) Hasse II, 460.
[120]) Baur 415 sq.; Kahnis II, 606 sq. Dorner, Gesch. d. prot. Theol. 414 sq.
[121]) Acrius quam verius Baur 179, 172.

ab illo solvenda transferatur et poena ab hoc soluta justitiae satisfactum et crimen dilutum esse putetur.

Apparet autem, tantum abesse, ut ejusmodi ratio ulla ex parte reconciliationis cujusdam, ne dicam expiationis praebeat similitudinem, ut ea ne justitiae quidem verae et strenuae satisfacere videatur, quippe quae non pertineat nisi ad verba et literas legum servandas. Sic enim facta puniuntur, neque animi, non voluntates in integrum restituuntur; ac rationes internae rerum vilitate compensantur; nec tam de hominibus eorumque moribus agitur, quam de rebus factisque per se consideratis et de damno undelibet et quomodocumque restituendo; denique sic nec dei honor nec dei sanctitas ex parte ethica infinitae esse virtutes statuuntur.

e) Multa igitur sunt et gravissima argumenta, quibus haec refutetur sententia. Cujus summa est ex parte hominum spectata restitutio objectiva et negativa (I, 5) [122]); atque in hunc sensum illam vocem Anselmi intelligendam esse puto, quam profert II, 8: „per quemcunque in statum suum homo restituatur“, in quo scilicet nullum ei poenae discrimen immineat.

Totius vero de Christi persona disputationis huc usque ductae haec fere est summa, ut satisfactionem ab illa, qualem depinxerit Ans., praestandam omnino non pro nobis valere statuamus, nisi forte quis in rerum compensatione acquiescendum esse duxerit: (quae tamen a deo et aliter et facilius exigi poterat). Obstat enim, primum quod deus solvat, qui genere sit alius atque is, qui debeat solvere; deinde quod ne hujus quidem dei natura integra servetur doloribus exposita; tertium, quod non tam in usum hominum redimendorum, quam in usum dei et trinitatis (II, 18) [123]) satisfactio pensitetur; denique quod ne in posterum quidem et singulis ulla inde utilitas exoriri videatur, quum conditio hominum olim anceps, nunc prava facta neutiquam satisfactionis illius merito in meliorem partem conversa esse dicatur.

f) Quas igitur rationes Ans. sequi debuit, ut 1) validam et 2) certam nobis ostenderet satisfactionem?

Eas, quas supra posui ad expiationem et ad repraesentationem relatas atque cum gentium usu, tum scripturae auctoritate firmatas. Haec enim una est via ethica et creaturae rationali accommodata, qua ultro animi revertantur ad deum, et qua deus placatus cum iis in concordiam redeat. Sed quum totum genus hominum jam inserviat peccato, expiatio vero fieri

[122]) Baur 180, 184. — cf. infra pg. 60 sq.
[123]) cf. Aug. (Kah. II, 65; Meier, de trin. I, 205).

nequeat nisi per insontem pro sontibus, qui quidem ejusdem sit generis atque illi: inde apparet 1) opus esse mediatore eoque vicario; 2) et eo, qui generi humano insertus tamen expers sit culpae ab illo contractae. Hunc igitur non unum esse oportere praeter alios, sed hominem universalem et totum suum genus (ethice) in se complexum: *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου*. In hoc vere totum genus se deo potuit offerre, et vere „hujus pro multis dari poterat caput unum“ [124]; in hoc vere totum genus majestati laesae satisfacere poterat neque tamen Christi meritum inde minuebatur. Nam quod ultro Christus se obtulerit: is modus sacrificii esse intelligitur in Christo meritorius, neque est — sicut apud Ans. — conditio necessaria ab hominibus expostulata. In Christo enim necessitas divina cum libertate ejus conjungitur, quam Ans. fere delevisse videtur I, 9. Et sic demum perspicuum est, qui potuerit fieri, ut culpa et poena, quae sunt res et notiones mere ethicae, translatae sint in personam culpae et poenae per se non obnoxiam. Nam justa opinor ratione illam dubitationem a Socinianis contra ecclesiam suae aetatis temere motam, justa inquam ratione hanc posse contra Anselmi sententiam commoveri. Hic enim illud quidem docet, esse deum hominem, attamen alterum idque gravius, qualis sit nostri ratione habita, non solum non explicat, sed prorsus perturbat. Neque tamen tota satisfactio recte intelligi nec doctrina de ea satis potest firmari, quin Jrenaeum [125]), August., Thomam secuti omnia referamus ad hominem universalem. Atque mirum fere est, quod non jam ab Anselmo, sed a Thoma demum [126]) inventa sit interna illa necessitas et relatio, quae intercedat inter Christum et genus humanum; mirum inquam eam ob caussam, quod Anselmum constat praeter ceteros [127]) ei philosophandi rationi deditum fuisse, quae singularum rerum multitudinem non ad nomina et flatus, sed ad res veras tanquam ultima principia reducere consuevisset (de verit.). Attamen quamvis hanc *θεωρίαν* satis coluerit Ans., nihilo tamen secius praecepta ejus in doctrinam de peccato transferenda non curavit. Quod si fecisset, et Adamum invenisset vere et omni ex parte universalem hominem fuisse, quo facto

---

124) cf. Virg. Aen. V, 815.
125) ? Thom. III, 1, 171.
126) Kahnis 293 sq.; Thomas hac ratione inita plures evitat difficultates ab Ans. non remotas, quamvis ipse quoque illud „homo est deus factus“ explicet „factum est, ut homo sit deus“ cf. Kahnis 283; Baur hist. eccl. III, 330; Dorner II, 328 „non deus conversus in hominem, sed homo glorificatus in deum“ (Summa III, 17).
127) Dorner II, 375; Hasse II, 77 sp.; Kahnis II, 233.

non potuisset, quin alterum quoque Adamum aeque profiteretur. Sed vide, quae de isto senserit (de con. virg. 7, 10, 23) [128]). Inter eum enim et nos eam intercedere dicit necessitatem, ut „materialiter“ certe in illo nos commoratos et vinculo propagationis cum ipso conjunctos esse opinetur; et ut amisso jam justitiae beneficio (cp. 27) iisdem nos atque parentem nostrum doloribus hujus culpam secutis obnoxios esse statuat, propterea quod ne nuditas quidem ista justitiae per se considerata judicium dei possit effugere [129]). Sic vana certe species ab origine deprompta exstat, propter quam juste nos ex Adami peccato pati videamur. Hanc vero speciem e parte contraria non posse transferri in Christum, inde apparet, quod Christus tantum abest ut homo universalis esse perhibeatur, ut prorsus non homo (*ἄλλος* atque nos secundum vim personae) sed deus (*ἕτερος* natura) humana forma assumpta esse dicatur, ad cujus deitatem unam totius ejus operis et meriti vis atque gravitas referatur. — Huc accedit, quod ne illud quidem liceat profiteri, pro nobis et in nostrum usum satisfactionem ab eo esse susceptam, quippe quam qualibet ratione et aliunde ac debuerit ad dei honorem compensandum exactam esse sciamus. Unde sequitur, ut de jure ista satisfactio — quae „ex opere operato“ efficax esse nequeat — nec valeat pro hominibus data, quorum vicibus nemo potuerit fungi, nisi homo universalis; neque in dei judicio satis valida esse possit censeri, quippe qui ab hominibus laesus ab hominibus illam expostulare debuerit. Quam difficultatem commutatio sive compensatio a Grotio introducta ita quidem evitat, ut rationes ethicae et ex parte divinae sanctitatis et ex nostra parte negligantur. Sed etiamsi tali commutatione admissa illud certe „pro nobis“ aliqua jam ex parte valeret, alterum sane idque gravius *τὸ* „nobiscum“ a scriptura sacra saepissime de Christo pronuntiatum vel tunc in oblivione remaneret. Cf. Eph. 1, 10; 4, 16; Col. 1, 15 sq.; I. Cor. 15, 45—48. — Eph. 2, 22 sq.; Col. 1, 18 etc. [130]). Hic enim Christus, quum esset quasi caput generis humani et caput ecclesiae, hic totum suum genus potuit repraesentare (*ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*), ita ut 1) *ὑπὲρ ἡμῶν* satisfaciens ostenderet libertatem suam et gratiam, et ut 2) *ἀντὶ ἡμῶν πάσχων* divinae obediret necessitati et justitiae (II. Cor. 5, 19 sq.). Ejus vero, quem describit Ans., Christi satisfactio cur debuerit efficax esse, non intelligimus: ita ut efficacia ejus a parte dei

---

128) Hasse 463—469; Kahnis 283.
129) Hasse 468 sq.
130) Dorner II, 1250.

considerata referenda sit ad ejus voluntatem et judicium, a parte nostra autem spectata ex opere operato valida esse videatur. Quod multum abest et a rei severitate et gravitate, et ab ipsius Anselmi consilio atque incepto (I, 1).

Hoc jam ex tota, quam modo posui, de Christi persona disputatione satis apparere puto, ab ejus persona hujusque indole prorsus non posse divelli opus Christi ejusque meritum [131]). Ad quod accuratius dijudicandum jam propius accedimus, qua ratione satisfecerit Christus, explicaturi.

V. Ans. totam satisfactionem reducit 1) ad unam Christi mortem (I, 18 sq.) et 2) ita quidem, ut quanta (I, 21) haec sit, non qualis, nobis demonstret. Quod statim ab initio quispiam potuerit reprehendere: nam infinitam hominum culpam infinita Christi deitate compensari atque sic deum passum esse videri. Sed haec supra jam refutata non amplius commemoro. Transeamus autem in mediam rem, postquam ad propriam et bipartitam vocis satisfactionis vim provocavimus [132]).

a) Vera enim satisfactio non in unis consistit poenis luendis, quae altera pars magis passiva ac negativa pertineat ad exteras justitiae rationes, sed majore ex parte posita est in morum commutatione atque obedientiae sinceritate, quae animos reconciliet et interna vincula antea rupta denuo connectat. Quae quidem altera pars positiva et ethica omnino non potest iis remitti, quos satisfacere oportet. Hoc vero esse dei consilium, ut justitia sua in Christo patefacta gratiam suam nobiscum per Christum communicet, atque inde sanctus dei appareat amor: hoc inde puto intelligi, quod Christum ἔδει (Luc. 24, 26; Ph. 3, 14) παθεῖν ex divina quadam necessitate, et quod hac tantum ratione „pertinax dei bonitas vincere potuerit improbos“ (Sen.). In rebus enim divinis licet ex rerum eventu concludere ad consilii necessitatem [133]) (II, 17). — Et quanta esse debuerit poenae acerbitas, sequitur ex peccati turpitudine (Rom. 6, 23): mortem igitur perpessus Christus tanquam summus sacerdos insons pro [134]) sontibus suum populum expiavit (II. Cor. 5, 19 sq.; Col. 1, 14; I. Petr. 1, 19; Eph. 1, 7; Hebr. 9, 12; 10, 10; 2, 13, 15 sq., Act. 20, 28 b; pastor Hermae simil. II, 16).

b) Hancque nos quoque Anselmo concedimus „obedientiam passivam“, attamen aliter atque A. nos eam interpretamur. Et

[131]) Dorner I. 170. — Kahnis II, 80.
[132]) vide supra, pg. 42.
[133]) Baur 170.
[134]) contra Baur 182.

ita quidem, ut deum in genere humano, quod per se nequiverit satisfacere, per Christum tanquam alterum Adamum (1. Cor. 15, 44 sq.) justae suae sanctitati satisfecisse statuamus. Nobis igitur inde apparet non tam justitiae severitas, quam dei sanctus amor et Christi fraterna caritas, quae ultro necessitati divinae satisfecerit et nostra gratia, non (I, 8) „per obedientiam servandi justitiam“ mortem subierit; nobis sacrificium ibi ostenditur pro peccatis nostris ultro oblatum, non compensatio quaedam honori dei laeso atque ita (?) restituendo debita [135]); nobis constat, aeque ac deus non Christi sanguinem, sed nostram salutem sitiverit [136]), aeque deum non tam poenam, quam expiationem nostram petiisse; denique eam Christi obedientiam idque ejus consilium fuisse dicimus, quo non — sicut ipsi liceret — divinam sibi arripere gloriam, sed ultro susceptis „expiationis“ nostrae iniquitatibus τὴν ὑπερύψωσιν (Phil. 2, 9) sibi commerere vellet.

Itaque non ex parte tantum divina [137]) Christi mors erit consideranda, sed pariter certe ex parte nostra [138]): illic enim quid debuerit Christus deo, hic quid meruerit nobis ostenditur. Est enim Christi mors, quia fuit voluntaria nec solum „poenalis“, quodammodo „passio activa“ et in hac ipsa posita est vis mortis „expiatoria et sacrificialis.“ (cf. pg. 41).

c) Inde igitur profecti, mortem Christi proprie, nec tamen omni ex parte esse „poenalem“ i. e. 1) et vicariam, et 2) quatenus „activa sit passio“ simul meritoriam: jam totam Christi vitam brevitur perlustremus. Nonne haec tota fuit actio quaedam passiva, propterea quod Christus omnia, quaecumque egit, perfecit iniquitatum moli expositus? Nonne Christus didicisse fertur obedientiam, ex iis quae sit perpessus? Nonne igitur ex necessitate conjungenda sunt, quae Christus fecerit tuleritque? Nos sine dubio ita statuemus, ne totam ejus vitam et opus divellamus: hoc enim est unum, unumque est meritum inde profectum, non bipartitum, ut censuerunt dogmatici nostri, qui nimio inter obedientiam activam et obed. passivam discrimine facto ex illa redemptionem, ex hac satisfactionem nobis contigisse docebant [139])

Sed magis fere placet horum nimia vel in minimis rebus

[135]) Baur 183.
[136]) Bernh. Clar. (Kah. 290).
[137]) Baur 180, 184.
[138]) Leviter de hac Ans. II, 19 (Hasse 598).
[139]) cf. Philippi „de obed. activa.“

judicii subtilitas, quam quod Anselmus obedientiae activae paullo post ab Abaelardo et Petro Lomb. [140]) subintroductae, ut meritoriae ne mentionem quidem fecerit (II, 11). Eoque gravius in hunc erit animadvertendum, quod apud eum θεάνθρωπος quidem agit, attamen opera ejus tanquam dei infinita esse judicantur [141]). Dum igitur nos eidem theanthropo „moralem“ certe obedientiam ex necessitate praestandam fuisse, meritoriam esse solam ejus obed. „legalem“ (Gal. 4, 4; Ebr. 5, 8; Mth. 3, 15) censemus: Anselmo ne ad illam quidem provocare licet, nam quid deus deo debet? Nonne etiam ex Anselmi de divina Christi indole sententia hoc sequitur, ut Christus non solum legali sua, sed tota sua obedientia satisfecerit deo atque ita quidem, ut sensu „positivo“ ordinem rerum et honorem dei ab hominibus violatum ipse restituerit? (Quos enim quasi fines terminosque nobis constituunt legis praecepta, eos Ans. posuit in ordine rerum divina auctoritate sancito) cf. de fid. tri. 11; cur d. h. I, 20—24; II, 11; praecipue monol. 65.

d) Cur vero Ans. non hanc obed. activam mortis Christi loco introduxit, apud deum sane aeque validam atque valida est mors illa, quum penes deum sit de tota re judicium?

Sed tale quid Ans. non potuit proponere, nisi a negativa sua satisfactionis interpretatione vellet desciscere. Et summo jure hoc ei objicitur, quod adeo falsum illum satisfactionis usum retinuerit, ut 1) perspicuam scripturae de obed. act. doctrinam omnino neglexerit; 2) neque intellexerit, ratione ab ipso inita honorem dei minime in integrum restitui, propterea quod poena justitiae laesae soluta ethicum damnum non simul compensetur. Simul vero per Christum et ira dei propter legem violatam exorta placatur (Gal. 3, 13, obed. pass.) et lex perfectissime impletur (Gal. 4, 4; Mth. 3, 15, obed. act.), quum neutrum a nobis potuerit praestari. Utraque [142]) igitur obedientia (ὑπὲρ et ἀντὶ ἡμῶν) homini universali praestanda erat, ut obed. passiva quodammodo magis culpa nostra deleri, ob. activa magis legis postulata olim spreta jam (sensu objectivo) restitui viderentur: ita vero, ut neutra ab altera divelleretur, sed unius operis meritique unius pars utraque esse judicaretur. Si vero Anselmo concedimus, in quibus errasse eum diximus, 1) negativam esse vim satisfactionis et 2) inde omnia referenda esse

[140]) Kahnis II, 289, 291. Thom. III, 1, 221—224.
[141]) Kahnis 248.
[142]) quod discrimen (logicum) magis ad verborum, quam ad rerum diversitatem pertinet.

ad poenae vim et damnum ex peccato factum re infinita contra pensitata explendum: tunc aliter atque concluserit potuisse concludere mihi non videtur, quamdiu ex culpa hominum proficiscatur. Attamen quod inde deum summos dolores et plurimas iniquitates perpessum introducere debebat atque ita secum ipse pugnare coeperat: inde debuit intelligere, in principiis jam se errasse.

e) Denique jam quis quaesiverit, nonne Ans. si de deo profectus honoris divini restitutionem excogitare voluerit, multo facilius eam sic debuerit fingere, ut Christus divina sua legis impletione et obed. act. honorem laesum reparaverit? Sed tunc culpam remitti statuere debuit, attamen Anselmi deus is est, quem justissimum poenas (I, 13, 15, 24) oporteat exigere. Quid vero inde sequitur?

Neutram per se valere rationem, sed et de culpa hominum et de deo simul esse proficiscendum; atque inde et obed. passivam et obed. act. in eum esse transferendas, qui et hominum loco (αντὶ) et pro (ὑπὲρ) hominibus deo satisfecerit.

VI. Sed haec hactenus; jam enim in eo est, ut inde, quo modo pervenimus, facillime possimus transire ad ultimam tripartitae [143]) nostrae quaestionis partem, quo eventu haec satisfactio a Christo pensitata fuerit?

a) Eo certe eventu, ut deus hac ratione ab ipso instituta sibi (i. e. trinitati II, 18) ipse satisfecisse et suum sibi honorem restituisse videatur. Nam statim ab initio Ansel. vim satisfactionis docet quasi objectivam! [144]) Nos vero magis vim quasi subjectivam curamus, quae pertineat ad nostram conditionem inde restituendam: quippe qui sciamus, absolutam dei majestatem nulla ex parte a nobis posse violari (cf. I, 15 sq.) nec ullum damnum a numine dolorum experte posse accipi, sed omnem hominum audaciam non tam deo ullum afferre detrimentum, quam cum summa ipsorum fraude fieri. Unde apparet, non solum poenam nobis esse luendam, sed etiam morum integritatem esse reparandam. Sed illa adeo ab Ans. tractatur, ut haec altera eum fere omnino fugisse videatur. Neque aliter, id quod supra vidimus, jam poterat A. statuere, quam ut meritum Christi nobiscum communicatum poneret in impunitate nostra. Nam „patrem dicit pro tanto dono a Christo ultro oblato non potuisse, quin Christo quidquam retribueret, nisi forte aut injustus aut impotens judicari vellet. Quum vero filius-deus a deo nihil posset accipere, quod non jam possideret,

[143]) cf. pg. 52 sq.
[144]) Baur 180.

et Christus frustra passus esse videretur, nisi ulla ejus meritum sequeretur retributio [145]): in homines quasi fructum hujus mortis esse translatum; quo quid sit convenientius, non posse cogitari." (II, 18, 19.)

b) Attamen qui fit, ut Ans. a patre deberi aliquam filio retributionem opinetur, quum II, 18 professus sit, de trinitatis honore agi et trinitatis honorem per Christum restitui? Nonne igitur tota trinitas Christo aliquid debet et Christus sibi ipse? Si vero sua caussa sibi trinitas per Christum satisfactionem curat pensitandam, qui fit ut meritum ullum sic esse partum possit videri? Quod in Christo certe nullum est, qui suum honorem suo consilio ac per se reparet, et qui simul patris et spiritus sancti honori debeat satisfacere, quum ipse Ans. (de fid. tri. 5) negaverit, patrem aut spiritum posse incarnari. Quum vero unum fuerit totius trinitatis consilium et Christi incarnatio ex divina necessitate facta esse intelligatur: tantum abest, ut Christo ulla debeatur a trinitate retributio, quae potuerit transferri in homines, ut hanc ipsam ob caussam tota haec οἰκονομία ab Ans. excogitata ea praeter ceteras difficultate premi videatur, quod a proposito suo valde aberraverit.

c) Hoc vero inde quoque apparet, quod Ans. (I, 1) a necessitate incarnationis demonstranda profectus ad talem convenientiam (II, 19) pervenerit, qua inventa opus fuerit, ne totius incarnationis eventus et exitus vanus et inanis esse appareat. „Nihil" enim filio potuit retribui, nos vero non nihil illud, sed gratiam speramus eamque bipartitam: a) qua non amplius „infinito" culpae nostrae „pondere" premamur, et b) qua „in nomine Christi" (II, 19) aditum habeamus (Rom. 5, 2) ad patrem. Per Christum enim statum impunitatis nos jure recuperavimus (II, 8), per hunc utique stamus (II, 8), in hujus ditionem redacti (I, 5) simul trinitatis servi denuo evasimus. Attamen nullo loco alia mihi videtur intelligi posse restitutio, quam quae habeat vim negativam: nam vel etiam verba I, 19 [146]) posita eam tantum admittunt interpretationem: „nisi quis infinitam culpam ab hominibus contractam infinita satisfactione removerit atque dei sic honorem restituerit, fieri non posse, quin ab hominibus deus exigat satisfactionem ipsis perniciosam." Pro effectu autem (poena) caussam (peccatum) hoc

[145]) Perverse hoc loco (II, 17) commemorat, feminis virginitatis suae praemium a deo deberi.

[146]) „nonne mire deus faceret, si hominem sine omni lavatione i. e. absque omni satisfactione in paradisum reduceret?"

loco introducit Ans., nullo ut plerumque fit discrimine facto inter rationes ethicas et eas, quae ad jus pertineant.

Sed hoc, quod modo, quum tulisset occasio, leviter perstrinximus, magni est momenti in quaestione de merito Christi in nos transferendo. Neque enim hoc satis est, ut extra nos et in alio (ἑτέρῳ!) conspicua sit justitia et obedientia: sed alterum quoque postulat conscientia nostra, ut haec in animos nostros transgressa vere nostra esse appareat. Quae quidem fide in nos transit: per fidem enim Christus non extra nos amplius, sed in nobis et est et agit.

d) Minime vero ea Anselmi opinio congruit neque cum dei sapientia et justitia neque cum creaturae rationalis indole et libertate: qua per commutationem quandam et ex opere operato Christi meritum pro nobis, nullo (sic Ans.) interno vinculo cum ipso conjunctis, efficax et validum esse fingitur. Qui enim cum voluntate peccaverunt, num hi sine sua voluntate possunt debentve absolvi? An forte ex Anselmi sententia deus pro hominibus satisfecit? Hoc vero ille Christus nec potuit ἕτερος ὤν, nec voluit facere: nam non in nostrum, sed in dei usum, nec tam pro (ὑπὲρ) nobis, quam propter (περὶ) nostra peccata deo satisfecit. Denique deus non tam illud dicitur curasse, a quo, sed ut suo honori satisfiat [147]).

Quam rem Hasse [148]) sic infirmare suscipit, ut per fidem ex Anselmi quoque sententia Christi meritum nobiscum communicari statuat propter II, 16, 19, ubi nonnullorum fides jam veteris test. temporibus valida fuisse perhibeatur. Neque vero „restitutionem" istam cum δικαιοσύνῃ comparaverim ex fide oriundam; primum enim in tota Anselmi doctrina homo nihil prorsus agit; deinde restitutionis vim negativam esse supra diximus; tertium de morum commutatione per deum propter Christum effecta (agitur enim de scholasticorum justificatione [149]) nullo loco agit Ans.; denique quae ea est fides, quam intellexerunt scholastici non tam in scriptura, quam in praeceptis et doctrinis ecclesiae Romanae detentam? [150]) — Praeterea Hasse non acquius in hac re Anselmum defendit, quam ubi [151]) contra justas aliorum sententias [152]) fingit, Anselmi doctrina non tam dei justitiam, quam gratiam ejus et amorem servari.

[147]) Quas difficultates vitavit Thomas Aqu. (Thom. 285—243).

[148]) II, 536, 606.

[149]) Kahnis II, 311.

[150]) Kahnis 309 sq., 312 sq.

[151]) II, 602 sq. cf. Thom. 226 sq.

[152]) Baur 169, 172, 175, 187.

Attamen nonne I, 13 legimus „summam justitiam nihil esse aliud, quam ipsum deum“ (cf. I, 8; II, 19)? — In utraque enim re Hasse aliunde argumenta sua promit, atque unde (i. e. ex nostro dialogo) debuit ea promere. Id quod facillime intelligitur ex II, 19, ubi in eo versatur Ans. „quod Christus moriendo exempli moriendi (I, 8) propter justitiam nobis dederit, ut meriti ejus participes[153]) (i. e. impunitatem nacti) imitatores ejus esse possimus atque“ — id quod deus a nobis, non a Christo exigit — „per justitiam nostram deo satisfaciamus.“ Justitiam igitur deus Anselmi a nobis, non fidem expostulat.

Itaque sine ullo pro nobis [154]) quasi fructu ethico (cf. II, 19) tota haec satisfactionis doctrina explicatur. Nulla enim ex parte nostrum genus idem est atque is, qui non tam pro nobis, quam propter nos satisfecit. Nos enim in servitute Satanae a Christo non (II, 19) devicti, sed a nobis devincendi (II, 21 sq.) remanemus. Qua vero ratione haec erit reportanda victoria, quum novae vires cum impunitate nostra nobis contigisse non memorentur?

Quae rerum futurarum tristis conditio facile ab Ans. hac fere ratiocinatione tolli potuisse videtur. Quum trinitati per Christum satisfactum esset: ne justitiae dei quidem amplius licuisse, ab hominibus poenas expetere; si vero praeterea meritum Christi et pretium inde a trinitate Christo debitum (II, 19) transferretur in homines, hos plus accipere debuisse, quam impunitatem. Sed nimis Ans. in negativa et objectiva vi satisfactionis versatur.

Quid vero inde sequeretur, si Christus non ut homo universalis perfectissima sua legis impletione nostram, quae perpetua fuit et est, morum infirmitatem apud deum excusaret? Nonne sexcenties jam honor dei a nobis violatus est? Nonne igitur pariter atque tunc honori dei aut poena nobis exitiosa, aut eadem, qua olim per Christum, ratione satisfaciendum erat? An forte meritum Christi superabundans ita est interpretandum, ut de eo gloriati impune posthac possimus peccare?

e) Sed gravior etiam de hac ultima re oriri debet disceptatio: quinam fiat ut ex Anselmi opinione non cum omnibus, sed cum certo tantum numero praedestinatorum meritum Christi salutare (I, 23) communicetur? Ea enim fuit tunc temporis Augustini auctoritas, ut hanc de praedestinatione doctrinam ex aliqua parte jam pridem infractam viri docti retinerent, quamvis ab Augustini sententiis de peccato, de statu integritatis, de libero arbitrio multum jam recessissent [155]). Qui vero eam nostrae libertatis vim statuit esse, qualem depingit Ans. (de lib. arb. 10 sqq. [156]): is minime debet ex parte contraria divinam quandam necessitatem introducere, secundum quam altera [157]) tantum pars hominum civitati supernae ascribatur explendae.

[153]) de lib. arb. 10 sqq. Hasse 309.
[154]) Baur 179 sq.; Schwarz 2, 8, 24.

Quae vero singulorum sunt pignora et subsidia, ad salutem illam se esse perventuros? Nonne enim ad omnes (II, 16), qui aeque peccaverunt in servitutem diaboli redacti [158]), aeque etiam pertinere debet retributio a Christo in nos translata? An forte (II, 20) in suis cuique consistendum est virtutibus et ex victoria de diabolo reportata sua cuique est salus paranda? Quae res multis ex partibus incerta est et periculosa. — Sed quam ob caussam non in usum omnium et „ex opere operato“ efficax est commutatio ista a Christo hominibus condonata? praesertim quum hoc ejus opus supererogationis plus deo praestet, quam deo fuerit reddendum? Infinita enim est culpa nostra, infinitior (verbo venia) quodammodo pro ea satisfactio est praestanda, quam infinitissimam praestitit Christus! Neque aliter judicat Ans. II, 14, 16 sq.; 18 [159]). Sed si concedimus, ab eo satisfactionem doceri superabundantem, hoc jam quaeritur, eam superabundantem esse statuat sensu objectivo an sensu dicat subjectivo [160]). Atque in hunc alterum sensum — vel invito Anselmo — propterea ejus verba accipere debemus, quod praeter rerum justum ordinem deus a deo, non ab hominibus, qui debuerint, satisfactionem exegerit. Quia igitur voluit deus, valuit haec satisfactio ab alio praestanda, ab alio praestita [161]). Quae quidem res ab Ans. nondum aperte pronuntiata haud ita abest a Duns Scoti [162]) sententia, quae ex aliis certe rationibus oriunda in plurimis rebus discrepat ab Anselmi doctrina. Atque non irritum esse hoc judicium modo prolatum, id inde sequitur, quod duobus ipsum firmatur argumentis ab Ans. depromptis: secundum Ans. enim antecedit commutatio illa, quae quo jure (objct.) fiat, non intelligitur; et

[155]) Kahnis 316, 296, 303 sq. 307.
[156]) Hasse 367, 388.
[157]) Hasse 610 sq., 662.
[158]) Hasse 389; de lib. arb. 10—12.
[159]) Kahnis II, 248; Dorner II, 423 sq.; Thom. 225, 228. Hase, Hutt. 255, 4. (8. edit.)
[160]) Thom. Aq. 293 Kahnis, Dorner II. 423; Thom. 241; Baur 180.
[161]) Baur 169.
[162]) Kahnis 294; Thomas. 244 sq.

sequitur (II, 19) „convenientius“ illud (sbjct.) ab omni necessitate alienum.

Quamvis igitur in hujus dialogi ratiocinationibus (I, 1) plurima sint, quae aut a rerum et rationum veritate, aut a sincera morum et justitiae integritate, aut a divini numinis paterno amore et sancta clementia aut a Christi necessitudine nobiscum inita totumque nostrum genus complexa multum abesse videantur: tamen quae insit in hac Anselmi doctrina et gravitas et ubertas, ea inde opinor satis apparet, quod per tot jam saecula Anselmi de satisfactione judicium ceterorum post ipsum de eadem re conamina ex hoc quasi fonte oriunda et excitaverit et superaverit.

Cygneae, typis expressit R. Zuecklerus.